




1
7
357












Rhemigy Melioratı de Vincētÿ filÿ



COELESTIS PHYSIOGNOMONIAE

LIBRI SEX.

IOAN. BAPTISTAE PORTAE NEAPOLITANI.

Vnde quis facile ex humani vultus extima inſpectione, poterit ex coniectura futura præſagire.

In quibus etiam Aſtrologia refellitur, & inanis, & imaginaria demonſtratur.





NEAPOLI, Ex Typographia Io. Baptiſtæ Subtilis. M. DC III.



ILLVRISS. AC REVERENDISS.

IO. ANDREAE PROCHNICIO,

PROTHONOTARIO APOSTOLICO,

Præposito Cracouiensi,

SERENISS. POLONIAE ET SVECIAE Regis in Regno Neapolitano Nuncio.



Ioan. Baptista Porta, S.



MICITIA & consuetudine multorum nationis Polonæ, quæ mihi iucundissima semper fuere; illectus, tuam quoque Illlstriss. Prochnici, statim ab aduentu huc tuo, vltro expetere, ad eamque me admitti, cupere non destiti. Volebam nimirum continuatam eam mihi cum Polonis esse: præterea tua quoque frui, quam mihi non minus gratam fore, tuiipsius mores, illustrium natalium sane indices pollicebantur seriò. Ac dum præstarent, (non me enim meum de te fefellit iudicium,) cœpi cum meo voluere animo, quanam potissimum ratione meum in te amorem ac obseruantiam declararem, totique si illud fieri vnquam posset, orbi testata facerem. Quare ad perficiendum propositum non incommoda sanè obtulit sese occasio. Sub prælum dandus & euulgandus mihi erat liber hic Physiognomiæ Cœlestis, non minus vtilis, quàm curiosus, & cui ex se apud eruditissimum quemq; sat spero fore commendationis. Eum sub tuo nomine emittendum decreui, æqua lance, vti illum à te illustratum iri, ita vicissim ad te quoq; ab eo aliquid honoris redditurum, certo persuasus. Et licet tuarummet laudum ingens sit cumulus, in iis

præcipuè, quæ ab ætatis nostræ memoria remota: Sed quæ tu pro modestia innata, dissimulata velis, & quorum cognitio aliunde nobis habenda fuit. Nam Gentilitiæ tuæ nobilitatis primordia si in memoriam reuocanda sunt, ea fuere apud vestrates Ruthenos semper illustria, antiquissima. Russia etenim prius habuit suos Reges quàm Polonia, adeò, vt etiam ante Christum natum. Maiores verò tuos, Duces de Bibel, maximo illic inter suos loco fuisse, nec recenter, vt sic dicam, enatos, facilè videre est, tam ex amplissimis bonis hæreditariis, quæ in terris Præmisliensi & Leopoliẽsi possederunt semper, quam ex rebus præclarè gestis. Nec deesse ibidem plurimos audio, qui exactam, & quasi per manus traditam, ea de re habeant notitiam, ac si quis volet vberiorem; habiturus eam facile ex actis inscriptionum, & variarum bonorum hæreditariorum dispositionum olim factarum, quæ ibidem Præmisliæ, ac Præuorscij asseruantur nunc quoque. Maiori tamen illud argumento est, maximum fuisse prosapiæ istius etiam apud exter nos celebritatem, quòd Bonfinio rerum Panonicarum scriptore luculentissimo teste, vnus ex illis Ducibus in Regem Vngariæ ante sexcentos annos fuerit electus. Qui tamen partis & factionis aduersæ perfidia haud diu viuere permissus, sed in spacio paucorum dierum ab iisdem trucidatus est. Cumq; ob facinus tam atrox ad arma vtrinq; concurreretur, illinc ad vindicandam Regis sui mortem, hinc vero ad sese tutandum: asseueratione istius partis, canem se non Regem è medio sustulisse, (medium siquidem canem, supra insignia trium fluminum & supra Galliam in Scypho tua defert familia.) Sic elusa omnia, vt etiam fuerint pacata. Sed tempus rerum edax, qui nihil finit eodem permanere statu, eodemue subsistere loco, immutauit omnia. Diuina factum prouidentia, quod Rusia in ditionem cesserit Polonorum, atq; ea occasione fidem Catholicam Romanam tota ferè nobilitas nobilissimæ illius Prouinciæ sit amplexa. Maiores tui pertinacius aliquanto in suo Schysmate Græco perstitere, indignum fortè, si non magnitudine, at saltem constantia sua rati, qui in re tam seria faciliores sese, quam par erat exhiberent. Cessêre tamẽ & illi voluntati Diuinæ, aliorumq; exemplo de obstinatione sua decessere, auita religione sua relicta, & fide Catholica à ducentis ferè annis recepta. Sed & alia tuam non minus opibus, quàm antiquitate generis illustrem familiam incessit mutatio. Crebris bonorum stabilium in stirpes primum, demum in capita diuisionibus: tum & fœminarum, quæ aliquibus fuere vnigenitæ in hæreditate successionibus; factum, vt præcipuis ex iis quasi è manibus elapsis; Prochnicum Oppidum cum Castello, & non paucis villis tantùm in stirpem propriè cesserit tuam, & à quo iam tua nunc tuorumq; denominatio. At hic quoq; iterum, multas eædem, quas enumeraui causæ, nec minores aui tui paterni in curia, intulere progressu temporis mutationes. Illustri tamen loco etiam ex eo, vt sic dicam, nido, tuos maiores fuisse apud suos semper, vel ipse Martinus Cromerus annalium Polonicorum scriptor accuratissimus, Bernardus demum Vapouius eiusdem Chronicæ cum suo fragmento adiunctus, sanè mihi & toti orbi testis luculentissimus. Egregiam facit vterq; multis in locis mentionem Prochniciorum, Nicolai videlicet Episcopi Camene-

censis

censis prudentissimi, cuius opera Rex suus in multis legationibus per id tempore vsus. Nicolai item Castellani Præmisiensis, Regni Consiliarij, & Senatoris magnæ ob vsum rerum autoritatis, demum & Petri, militia tum clari, vt reliquos taceam, cum mihi digitto hæc commonstrasse intento sit satis. Et iam ad tuam ipsius personam dirigenda mihi esset oratio, deq; tuis laudibus dicendum aliquid. Sed ne, vel ego non sim enumerandis illis sufficiens, vel tua modestia non eas velit respuere, silentio potius te veneror, & meum cultum vnicè tibi sanè dibitum ex animo defero. Non, nisi magno tibi debet esse honori, & apud tuos Polonos, quum tu præ cæteris Serenissimus, & prudentissimus Rex tuús negocijs hoc loci suis destinauerit, & apud nostrates hic, qui tuam in tractandis illis dexteritatem, ac solertem diligentiam suspiciunt omnes. Quamuis & multa sint alia, quæ tui memoriam haud facile hic è memoria euelli patiantur multorum. Amabilis omnibus es, misericordia in pauperes, benignitate in religiosos, liberalitate in egntes, magnanimitate in pares, hospitalitate, candore, humanitate in omnes: adeò optimè tui cum virtutibus ac pietate contemperati mores, vt vel primo aspectu quilibet te iudicauerit, & nobilissimo natum loco, & bonum sacerdotem. Seruet te diu incolumen Dominus, loco etiam in Ecclesia sua nobiliori, quo maior, & tibi exercendarum virtutum tuarum sit opportunitas, & in te vicissim ex ijsdem redundet honor.





VANTVM apud omnes gentes, omnibusq; temporibus diuinationum artes semper præstiterint, argumento sunt tot libri à præstantisimis vndequaq; viris, tum antiquis, tum recentioribus, Græcis, Latinis, & Arabibus descripti: Inter quas ars, quæ ex syderum natura, posituque futurarum præscientiam rerum sortitur. præfulsit, vtpote, quæ certioribus demonstrationibus præ omnibus subnixa videretur. Ipse ab ineunte pueritia adeo feruenti desiderio ad eam perdiscendam ferebar, satis enixè, curioseq; eius secreta peruestigando, vt huic scientiæ me totum emanciparem. At postquam summorum procerum iussu è catholicorum scientijs sublata est, quanto eam prius ardore conquisieram, tanto postea toto animo exhorrui, & ex mente eliminaui. Cumq; alio iudicio examinarem, quàm prius didiceram, tandem comperi Astrologiam non nisi fictam, & imaginariam esse scientiam, & quicquid veri in ea esset, non nisi ex sola & mera Physiognomonia esset, sed ab eius scriptoribus vt eam magnifacerent, & hominibus gratificarentur, inter sydera centuriata est, vtpote ad cœlestes influxus, & nobiliores causas sublata, cœlestior, & diuinior scientia censeretur. Contrà hanc Astrologiam multi non dilutæ, aut vulgaris authoritatis viri incesserunt, suasq; ingenij vires exacuerunt, sed meo quidem iudicio supiniori diligentia & perspicacitate, quippe minime scopum attigerunt, nam dum cœlorum influxus auellere conantur, non diuinationis causas, sed cęlestium orbium motus, & syderum progressus ignorantiam astruunt, ob id à præstantissimis mathematicis, & philosophis satis euigilatè responsum est. Nos verò Astrologiæ inanitatem alio modo destruere conati sumus: nam quod ipsi nil esse dicant, quòd planetariæ

non ſubijcerent poteſtati, nos elementarijs qualitatibus, quibus hominis corpus conſtituitur, famulari dicimus. Aiunt enim, qui iouiam præfecturam ſortiti ſunt, ſunt albi, cum quadam coloris commendatione, capillicij mediocris, nigris oculis, ac bene magnis, ac venerabilis formæ, moribus decorati, magno animo, magnaque appetentes, & qui ad magnos actus ſemper inflentur, nobilis, glorioſus, & in geſtis imperioſus, lætus, & ſimilia. Sed quæ ipſi ſyderibus, quibus vnumquemq; noſtrum emancipari dicunt, & inde formæ, morum, & fortunæ benignitatem, nos è qualitatibus euenire dicimus: nam imperat ei qualitas calida, & humida, veluti aerea & ſanguinea, & qui huiuſmodi temperaturam ſortiuntur, & ſimilem formam & mores conſequuntur, vt in noſtra humana Phyſiognomonia ſatis dilucide diſputatum eſt. Mitto quod ſi hominum mores, & formas veſtigentur, ex quibus formentur, clariſsimè eorum coarguitur fallacia: nam ex parentum ſanguinis qualitate, quæ ſeminiò præeſt, concipitur fætus in materno aluo, & poſt quadraginta dies aduenit ſpiritus, taleſque mores ſortietur homo, quales embrionis temperies largitur. Quid igitur genitalis hora cum fœtu, ſi mores octo ferè menſibus prius cõtracti erant? Et quia id tempus ignotum, neſcio quid de analogia & conuenientia blacterant inter ſeminis caſum, & è materna aluo egreſſum, cum nulla inter hæc tempora intercedat ſymboleitas. Addidimus præterea non inutilem doctrinam, quomodo Aſtrologi id, quod longis temporum curriculis, varijſque experimentis didicerint, vnico intuitu, oculos in cęlum ſuſtollendo, ſyderaq; contemplando addiſcere poterant: quippe ex eorum Phyſiognomonia, colore, motu, quantitate, pulchritudine & deformitate dilucide cognoſcuntur. Iouium, ac Venereum ſydus peramœno, ac iucundo fulgore coruſcans, cęleſti claritate adeo præcellit, vt naturæ maieſtatem quandam præſignet, perſimiles effectus ſpondet, venuſtos & auguſtos homines reddit, vitam glorio-

ſam,

Nota

ſam, ſplendorem, & perennes opes largitur, & ob id ſalutare ſydus dictum. Contra Saturnium, quia fœdo, luridoque pallore liueſcit, quaſi oculos lancinans, melancholicos, eiuſq; morbi alumnis obnoxios viros reddit. Martium, horrificum ſydus & minax, rubentes homines, iracundos, ſanguinarios, prælia, lepram, & feros lichenes pollicetur, aduerſa, infæliciaque dicta, quæ omnia latius vniuerſo opere demonſtrabuntur. Nos primo hoc libro planetarum phyſiognomoniam deſcribemus, & quos mores, morbos, magiſtratus, & fortunas præſtent: & quomodo ex eorum aſpectibus cognoſci poſsint, & hæc omnia non ſyderum influxu, ſed ex ipſis elementorum qualitatibus manare.



IOAN. BAPTISTAE PORTAE NEAPOLIT.

COELESTIS PHYSIOGNOMONIAE *LIBER PRIMVS.*

Quid indoles, vel aspectus dignitas sit.

CAPVT PRIMVM.



ICABIMVS hunc librum hominum indoli, siue characteri, vel aspectus dignitati, vulgus (ariam) vocat, quam è materna secum deuehunt aluo, vt augusta, spectataeq; maiestatis, sic seruilis, abiecta, angustaque: ex his enim velut è fonte quodam coelestis nostrae Physiognomoniae praesagia pendent: vnde lectores rogatos velim, vt toto ingenii conatu, quae scribimus animaduertant, nam potius mentis acie, obtutuq; compraehenduntur, quàm verbis describi queant. Multi sunt, qui haec nulla arte didicerunt, sed ab incunabulis secum attulerunt, vt in euentibus praesagiendis ex aspectu hominum mentes in admirationem conuerterint. Ex his vnum nostro aeuo cognouimus Matthaeum Tafurium de Soleto, virum in omni doctrinarum genere extra aleam positum, qui inter alias, adeò in hac arte celebriter eminebat, vt solo aspectu mortes, vitae discrimina, & euentuum tempora, extemplo tam veraciter pronunciaret, vt in stuporem potius, quàm in suae portentosae artis ae-

mulationem mortales conuerserit. Et quia multa, & propemodum infinita adhuc supersunt testimonia, ideò huic sermoni supersedimus. Dicimus igitur formam hanc, characterem, animi indolem, aspectus dignitatem, esse lumen, vel splendorem admirabilem, regia quadam maiestate, delectatione praefulgentem, qui primo intuitu ita oculos ferit, vt aspicientes tanta vi trahat, alliciat, & delectet, vt eos in sui amorem, & reuerentiam conciliet, quamquam eos, qui fuerint ignorent. Dinocrates Architectus, vt à Vitruuio traditur, vt ad Alexandrum Magnum faciliores aditus haberet, suae formae confisus, cum ampla statura, facie grata, forma, dignitateque summa contra Alexandrum incessit: is suae formae delectatus, iussit ei locum dari, vt accederet: sic à facie & corporis dignitate sui voti compos factus est. Versatur ea dignitas circa faciem, veluti insignis naturae pictura, vt altera facies videatur, aut transparens persona à vera facie inseparabilis, praecipuè in oculis latet, quorum radiorum viuacitas imperio, & tyrannide plena est, diuinitatem spirans, vt homines in seruitutem cogat, vt ipsi quasi exuta humanitate ad supra mortalem gloriam anhelent. Sunt duo ludentes, vel aliud quidpiam facientes, nobis natura comparatum est, vt quos videamus eiusmodi indole praeditos, victores exoptemus, nostrisque viribus auxiliari nitemur, ac si secus eueniat contristemur, vt nobismet, non illis contraria sors obuenerit: contra si qui despicabili indole, contemptui nobis sint, victos & infoelicia deprecemur. Huic contraria altera est indoles seruilis, tetrica, lugubris, & nescio quid secum noxii, miserabilis, & horrifici afferens, vt qui in eos conuerterint oculos, aliorsum vertant, aspectum horreant, tanquam aliquod malum, & infaustum aspexerint, vnde odio habeant, mala, infoelicitatem & mortem imprecentur. Hi omnes miseriarum, & infoelicitatum pleni, nil eorum, quae concupierint, adipiscentes, sed aerumnarum & paupertatum haeredes. Hac arte quamplurimos nostros familiares iuuimus, vt pericula

diuerterent & ad dignitates aſcenderent. Paulo ante quàm haec ſcriberem, amicum admonui, vt infoelicis cuiuſdam, & tetrici hominis ſocietatem vitaret, renuit ipſe, cum ſe ab eo ditari promiſſum eſſet, accidit, vt cũ in ſpelunca à Gubernatore pecuniã adulterare reperti eſſent, paulo poſt ambo è cruce laqueo pependerint.

Sacrorum Scriptorum ſententia de eiuſmodi charactere.

CAPVT II.



Perepraetium nobis videtur, antequam noſtram ſententiam de eiuſmodi charactere proferamus, ita cognitu, relatuq; difficili, antiquorum opiniones veſtigemus, quid de eo ſenſerint, & initium à ſacris ſcriptoribus, & vetuſtioribus, vt decet, auſpicemur. Inquiunt enim hanc formam eſſe munus coelitus datum, non coelitus, quaſi ab ipſis planetis, fixis ſtellis, aut eorum aſpectibus, ſed ab ipſo creatore Deo, qui hoc charactere quoſdam praeſignat, & decorat. Eſt enim hic character pulchritudo, ſplendor, maieſtas, paradiſi, angelorum, ac denique ipſius Dei ſimulacrum, in quo pulchritudinis, ſplendoris, & maieſtatis ſumma eſt. Boetius Romanae eloquentiae lumen, de eo ſic cecinit.

Pulchrum, pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens.

Et ob id retinet, moraturq; aſpicientium oculos: quia pulchritudo eſt viſiuae obiectum conueniens potentiae, & oculi pulchritudine delectantur. Sic contra aliò conuertuntur, & rem viſam horrent, vbi Naturae defectum, & malè concinnatam proportionem aſpiciunt. Et turpitudo eſt inferni, vel potius ipſorum Daemonum imago, in quibus omnium turpitudinum, & miſeriarum ſumma eſt. Nam & Porphyrius Daemones, quorum animi iniqui ſunt, corpora item deformia habere dicit. Fuitq; veterum Philoſophorum vulgatum elogium, quod Deus animam in corpus miſſurus,

tan-

tanquam in suum hospitium, primo & dignum praeparat, & animae, quam ornandam virtutibus prouidet, speciosissimum corpus saepius concinnat, quasi exuta humanitate penitus ad diuinam gloriam anhelet, veluti à Deo data. Legimus in epistola Lentuli ad populum Romanum de Christo Seruatore nostro, serenam frontem habuisse, diuina quadam maiestate plenam, vultum venerabilem, quem intuentes possent & diligere, & formidare. Et tradit Nicephorus in historia Ecclesiastica, quod Augurus eximium pictorem ad Iesum miserit, vt accuratè eius faciem delinearet, quã cum pingere multum ille conaretur, voto frustratus est, diuinitus quippe splendor, & gratia in eius vultu commorans erat impedimento. Idem de sanctissima Maria virgine eius matre scribit: nam eam in suo oratorio Dionysius Areopagita gratiam videndi nactus, contuens oculorum suorum splendorem, & sui vultus maiestatem, dixit. Si ignorarem Deum esse purum spiritum, non alium, quàm hanc Virginem Deum esse praedicarem, & nisi fide roborarer, non putarem Deum esse formosiorem. Tantamq; insuper puritatem, & castitatem suo vultu, & oculis demonstrabat, vt quicunq; eam aspexerint, carnis desideria illico in illis retunderet. Et Iesephus libro De antiquitatibus, scripsit, quod Deus tanto fauore Mosem prosecutus est, quod puer visus à Thermute Pharaonis filia, non minus pulchritudine, quàm diuina forma excellentem, vt scirpeo lectulo è fluente rapto, eum exceperit, & per adoptionem suum filium fecerit. Dauidem multa per Deum facturum decorasse, legitur primo Regum, decora facie, & omnibus virtutum ornamentis. Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, bellicosum, prudentem verbis, aspectu pulchrum, decoraq; facie. Et Ioseph ea corporis pulchritudine, & decoro aspectu fuit, vt mulier ad insaniam eum videns peruenerit. Ipse etiam Deus Diuo Bernardo Abbati peculiari gratia corpus aptauerat, vt in eius carne spiritalis quaedam maiestas videretur, & in eius vultu claritas quaedam non vtiq; terrena, sed coelestis praefulgebat,

in

in oculis quaedam angelica puritas, & columbina simplicitas radiabat, tantaque erat interioris hominis pulchritudo, vt quibusdam inditiis foras erumperet, & de cumulo in terrae puritatis, & gratiae copiosè perfusus homo quoque exterior videretur: Et ne longius euagemur, poterit quisq; ex sacris libris quamplurima de sanctis viris testimonia conspicari.


Philosophorum de charactere opiniones.

CAPVT III.

NVnc videamus, ecquid Philosophi, Mediciq; de eiusmodi referant indole. Inquiunt enim; formam hanc nobilitare, & decore plenam à purissimo, & subtilissimo nobilium sanguine prouenire: scilicet Regum, Procerumq;, adeò, vt si aliquem insigni hoc charactere indicare vellent insignitum, regia forma praeditum dicant. Themistius Euphrada in oratione de clementia Theodosii Imperatoris inquit. Nascitur Rex inter homines, sed tam raro, & post longa annorum interualla tunc, scilicet, cum animi pulchritudo cum corporis excellentia coniungitur, & commiscetur, atq; is certè magnus est Rex, cuius est forma & species integra, omniq; ex parte absoluta, & perfecta. Priamus apud Homerum Agamemnonis formam & maiestatem contemplans, & si quis esset ignoraret, similem regi confitetur. Hector, vt à Darete memoratur, regis filius dicitur vultu fuisse venerabili, et animo magnus, ciuibus clemens, & dignus. Sed argumenta, quae ad hoc confirmandum afferunt, sunt. Quod Principes & Reges è materna aluo educti, in cunis, & militum brachiis iacentes, nobilissima sanguinis insignia praeferunt, vt si qui fuerint ignorarentur, vultus decor, & praestantissimi splendoris imago, se è magnatibus natos confitebuntur. Argumenta ex historiis petunt. Demetrius, referente Plutarcho in eius vita, forma fuit oris adeo egregia, adeoq; praestanti,

ut pictorum, aut sculptorum nemo similem unquam potuerit effingere: nam gratiam simul & terrorem, tum grauitatem & mansuetudinem quandam praeseferre videretur. Aspectus admirabilis splendor, regia quadam maiestate coniunctus, ut ad stuporem simul & gratiam hominum concitandam natus esse videretur. Scribit Iosephus libro De bello Iudaico, Iudaeus quidam formae similitudine se Alexandrum esse mentiebatur, sic multos fefellit, multisq; muneribus à Iudaeis donatus, tantaque erat aspectus similitudo, ut qui eum puerum viderant, illum esse iurarent. Sed Caesar, qui eum prius viderat, & si is plane sine dubio videretur, ex corporis duritia, & seruili forma commentum deprehendit. Romulus & Remus in Tyberim proiecti, à lupa, & demum à pastoribus educati, vbi ad viriles annos peruenerunt, non subulcis, bubulcisue similes erant, cum quibus educati erant, sed (ut par erat) formae dignitate, & animi magnitudine viros Regum, & numinum satu aeditos referebant. Aeneam formae dignitate, & pulchritudine commendat Virgilius.

Ipse ante alios pulcherrimos omnes
Infert se socijs Aeneas.



Alexander Magnus suam imaginem ab aliis contaminari noluit, sed vniuerso orbi edixit, ne quis suam effigiem temere effigiaret aere, colore, aut celamine, quippe tantùm Polycletus aere, duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles celamine excluderet, vt in toreumatis, statuis & tabulis idem vigor animi bellatoris, & immensa sui excelsi animi indoles, idem ingenium maximi honoris, eadem gloria relicinae frontis videretur. Idem euenisse memini in Aloysii Estensis Cardinalis vultu, oberrabat enim circa eius vultum regalis indoles, & maiestatis plena, fortasse à Regio sanguine Ludouici vndecimi aui sui Gallorum Regis.

Medicorum de indole opiniones.

CAPVT IIII.

AT *Medici penitius rem inspicientes, in aduersum clamitant, inquientes. Si ex natalibus, & cunis hanc indolem Magnates praeseferunt, non ex hoc causas exponunt, debent enim causam vestigare, vnde id eueniat. Sed Medici causam explicantes, dicunt id ex cibis, quibus vescuntur euenire, quippe delicati, & facile coctioni parentes, optime digeruntur, sanguinemque gignunt clarum, purum, & subtilissimum, qui per venas dilabens, mollem carnem, delicatulam & coloratam creant. Praeterea otio indulgentes, ac domi viuentes, aegerrimeq; labores subeuntes, spectatae pulchritudinis facies, ac roseo decore renidentes habent. Contra verò subulci, rustici, & pastores, continuo porris, caepis, alliis, & radiculis vesaentes, aliisq; crassioribus eduliis, quae durae coctionis, crassaeq; compactionis, humores crassos, ac foeculentum gignunt sanguinem. His additur, quod sunt montium accolae, sub dio degentes asperis in coeli regionibus, & temporibus, frigoris & caloris concontrarias tempestates tolerantes, sic etiam vigilias & summos*

labores, tetrici, seueriq; vultus, & horridi euadunt, dura, sicca, & ferina cute obducuntur, hispidaq;, sic vt agresti foris indole, sic intus rudibus moribus contaminatur. His causis superadditur, quod qui tenui, & delicato victu vtuntur, ac otio indulgent, temperie calida, humidaq; mediocri constant, & hoc temperamentum est illud, quod spectatae pulchritudinis formas creat, in quibus haec indoles nidulatur: contra qui agresti cibo, vigiliis & laboribus studiosius se dedunt, sicca sunt cute, deformes, & horrido fiunt oris ductu. Calidum enim & siccum, innata reluctante duritia, ac naturae inobediens, obstat. Natura enim omnia numero, proportione, & ordine absoluit, & si ipsa ad absolutam formam & dignitatis specimen anhelet, à duritie prohibetur. Contra humor, & calor à duritia alieni, Naturae suae molliciei obedientes; egregiam formam, & augusta indole renidentem largiuntur, vt ipsa suum opus absoluat. Vnde liquido deprehendi potest, nullam ferè, aut raram in calido, & sicco decoram, & conspicuam faciem posse conspici. Arridet ad hanc doctrinam insigne Aristotelis problema. Cur efferis moribus sint, qui nimio vel aestu, vel frigore colunt? optima enim temperies non modo corpori, sed intelligentiae homini prodest, excessus autem omnes diuertunt, vt corporis & mentis temperamentum peruertant.

Astrologorum de indole opinio.

CAPVT V.

SEd formam, vel indolem à coelo fixis scilicet, vagisq; stellis manare, inter Genethliacorum placita sancitum est, ac eorum facies maiori decore, & maiestate coruscare, quorum in ortu per eorum cursus, recursusque beneficarum stellarum fuerit interuentus: immò ab omnium principe Ptolemaeo testatum est; Munus esse Iouis venerabilem formam largiri, ac maiestate plenam. Eandemque sortiri potesta-

tem Venerem, nisi quod foeminae molliciei, & pulchritudini accommodatior esset. Iulius verò Maternus à Sole, quod luminum praerogatiua caeteris praecedat, quasi luminis fonte, formam splendore plenā donari. Hali verò splendidiorem, & quod sint Planetae, qui corpora distorta, vilia, & miserrima forment. Et Augustum Caesarem scribunt, non quod Accia noctu Apollinis templum ingressam, ac somno sopitam draco compresserit, ac decimo mense natum peperisse, & Apollinis filium vocatum, sed quia in eius natalitio Solis astrum maximè praestiterit. Vnde oculos habuit claros, & nitidos, quibus existimari volebat inesse aliquid diuini splendoris: gaudebatq; si quis acrius contuenti, quasi ad Solis fulgorem vultum submitteret, vt scripsit Suetonius, Et Alexandrum Macedonem, quod Sole Leonem ingrediente, & Saturno Taurum conceptus esset, capillorum crispitudinem, citrinū colorem, & oculos claros retinuisse, & vt Sol prae coeteris clarus in Leone, sic vniuerso dominatus est. Ex Tauro frontem, & ferociam, toruum aspectum, & multam iram, & robur habuisse. Itemque ex horum benignitate prospera, & salutaria praesagiri dicunt, veluti ad sublimia magisteria, ad magnos honoris gradus, diuitias, famam, & ingentem gloriam euehi. Contra autem deformis, moesta & infoelix indoles ex maleficis stellis euenit, veluti Saturno, & Marte, & ex eisdem aduersa, & terribilia minantur, & qui tales sortiti fuerint ortus, ad miserabilem sortem peruenturos.

Medicorum, Philosophorum, & Astrologorum opiniones refelluntur, & authoris ponitur de Indole.

CAPVT VI.

SEd quod Philosophi & Medici dicunt ex nobilissimo Magnatum sanguine eiusmodi indolem prouenire, clarissime redarguitur. nam plerosq; legimus ex infima hominum plebe, veluti

rusti-

rusticorum, & pastorum, & tandem indolem hanc, decore, & dignitate plenam secum è materna aluo detulisse, ac denique ad summos apices, ac rerum fastigia decurrisse.



Tamerlanus ex humili loco natus, humillimis parentibus, regiam tamen indolem praeseferebat, adeò fuit ingentibus praeliis, & victoriis fortunatus, vt maximus Scitharum Imperator euaserit. Carmagnola agrestis viri filius, & subulcus adhuc puer, in eo viuacis ingenii & bellici Ducis indoles praefulgebat, qua à praetereunte milite animaduersa, pro armigero puero secum adduxit, per varias victorias ad claros militiae gradus euectus est, & eiusmodi exemplis iam historiae plenae sunt. Sed quam Astrologi dicunt ex stellis euenire formam, nos ab ipso temperamento, ac characterem illum, regiamq; indolem non aliò euenire, quam ex elementorum temperata qualitate, & optima earum proportione, & potissimum in sanguinis temperamento, quasi naturae aspirantis donum, vt quibus eam dederit, cumulatè bona mul-

ta contulerit. *Plotinus id videtur sensisse. Esse naturaliter intus bona, quaecunq; sic extrinsecus verè pulchra, quippe quod ex interioris formae perfectione, atq; seminariae rationis victoria super miseriam proueniat externa formositas. Contra seruilis, abiecta, & miserabilis in phlegmatica, & melancholica saepissimè visitur. Dixi indolem illam imperio dignam, qua quicunque caruerit, neque regendis populis, neq; ducendis exercitibus valet. Est enim illa maximum animorum conciliabulum, vt facile à ciuibus, & aduenis obediatur, suoq; pareant imperio. Contra illa seruilis indoles operatur, vt dedignetur homo, animal superbum, deformi, ac seruilis vultus homini seruire & vti à natura male formato, ità à subditis spreto. Alexander Magnus faciem maiestatis plenam & diuinitatis à coelo sortitus, in Indiae vrbem è muro se deiecit, solus in medio inimicorum persistit, Barbari territi à bellatoris vultus maiestate, non proprius pedem ferre audebant, sed circumfusum telis eminus potebant. Sed quod eius formae docor ex optimo prouenerit temperamento, inditio erant eius membra & os, ità suauissimum odorem oxhalasse, vt interiores tunicae mirabili fragrantia complerentur. Theofrastus plantarum libro optimum odorem ex temperata siccitate prouenire sentiebat. Non igitur faciei decor ex coelo, sed ex ipso prouenit temperamento.*

Astrologorum opinio, de orientali, & occidentali charactere.

CAPVT VII.

S*Ed ut ad Astrologorum commenta rodeamus, inquiunt: Regias Stellas coelo fixas, regium maiestatis fulgorem praestare, & singulares planetas & simul commixtos, signa Zodiaci, imagines & fortunata geniturae loca regium characterem largiri posse. Sed Orientales planetas,*

& sy-

& sydera dubia, & fortunas dixere, contra autem occidentales infortunas, & insalubres, ac orientales formam dare claram, coruscam, scintillantem, coloratiorem, maiorem, & tandem pulchriorem, & ex inde fortunatos, & virtuosos dici. Contra occidentales, obscuram, excoloratam, fuscam, minorem, & tandem turpiorem, & exinde infortunatos & insignis gloriae expertes et non virtutes, sed vitia uirtutibus proximiora sortiri. Vt si solaris indoles orientalis liberalem hominem faciebat, eadem occidentalis faciat prodigum, vitium liberalitati proximum. Orientalis & fortunatus Saturnus parcum facit natum, occidentalis, infortunatusque auarissimum & sordidum. Idem quoque dispositor orientalis hominem mellini coloris reddit, idest aurei clari, mediocris crassitiei, & aptae corporis constitutionis, at occidentalis obscurioris, vel nigri coloris, corporis macilentioris, ac deniq; turpioris, idq; longa obseruatione, multorumque curriculis annorum obseruasse, & posteritati mandasse tradiderunt. Est enim Oriens dextera, ideo signa in dextra corporis parte foeliciora, in sinistra prodigiosa: vt latius in sequentibus. Quod & si oculos in coelum substulissent, ex planetarum ipsorum aspectibus cognoscere potuissent citius, rectiusque quod longa, & diuturna obseruatione didicerunt: nam si quis diluculo ante Solis iubar exortum, ascendentes supra horiZontem planetas contemplabitur, eos ipsos longe maiores, coloratiores, luminis maiestate praecellentes, splendorem vndiq; iaculantes, veluti scintillantes, & tandem omninò pulchriores: quorum rationes in nostra perspectiua adduximus. In crepusculo enim aer, ex praecedentis noctis humilitate vaporibus plenus, & adhuc roscidus, aspicientium acies deducit, vt qui per interpositos vapores inspiciantur, vnde maiores, fulgidioresq; comprehenduntur. Contra autem cum occidunt, quia omnes vapores amoti, ac diurni caloris vi, in tenues auras deducti planetae sine vlla splendoris praerogatiua, omni prorsus ornamento carentes conuisuntur. Vnde ex eorum fulgore, ex quo videntur

dentur

dentur luminum maiestate praecellere, prospera, & salutaria spondere videantur. Sic occidentales ex eorum excoloratis aspectibus, languidisq; , aduersa, maesta, & terribilia praesagire.

Quod non ex orientalibus, occidentalibusque planetis, sed ex purissimis, fæculentisque humoribus prospera, & aduersa proueniunt.

CAPVT VIII.

SEd ut veritatis ratio liquere posit, commentum aperiamus. Res enim se aliter habet, quàm isti putant, & id non à syderibus, sed è naturae humoribus, & purioribus, foeculentioribus eueniunt. Sunt enim in aliquibus viris humores adeò tenues, lucidi, defaecati, delicati, & clari, vt faciem candidam reddant, roseo colore coruscam, viuidam, venustamque, vt maxima iucunditate aspicientium oculos alliciat, & in sui contemplationem remorentur, & hi sunt, qui honoribus elati, magistratus, principum familiaritates, & & imperium voluntatum consequantur, cum quibus familiaritates inierint. Ex optimis enim humorum qualitatibus, optimi plerumque proueniunt mores, vt ab omnibus amentur, desiderenturque. Sunt enim honesti, fideles, beneuoli, amici, obsequentes, prudentes, animi regalis, periculorum contemptores, secreti, & tandem quicquid ex heroicis moribus potest prouenire: ob id Principibus & Regibus cari, à quibus quaecunque poscunt, obtinent, honores, magistratus, & his instrumentis omnes infortunas euadunt. Sed cur id eueniat, ratio in promptu est. Prudentia, & animi virtute pericula euitant: magnanimitate & liberalitate subditorum animos deuinciunt, honestate, fide, & obsequio à proceribus amore prosequuntur, sedulitate acquirunt diuitias, parcitate conseruant, nullis obnoxii, ob id iis

nullae parantur insidiae. Vnde mores potius à temperamento, quam à stellis eueniunt. Contra autem sunt homines adeò faeculentis, impuris, atris, turbulentis, noxiis, putridis, & atra bile combustis humoribus ut eorum aspectus reddat obsoleti coloris, squalidos, tetros, horribiles, deformatos lugentes, moerentes & melancholicos, ut tacita, & noxia quadam tristitia horribilitateque aspicientium oculos sauciet, & conturbet, ut aliorsum vertant. Hisq; humoribus subsequuntur ferini barbari, syluestres, stolidi, & macilenti mores, fraudulenti, ut eorum pessimis moribus odio habeantur & insidientur, in bonis damna patiuntur, infortunati, infoelices & miserabiles. Continuò infirmitates perpetiantur insanabiles & pernitiosas, quia corruptis & noxiis humoribus scatent. Vnde non à stellis, sed à pessimis humoribus euenire nullo dubio opinantur. Socrates Alcibiadem Phaedrum, & post Phaedrum Carmidem adamauit, quos comae decor, carnium laeuitas, & formae venustas exornabat. Theaetetum non amauit, quod simo naso, & turpis esset. Cherephontem etiam spreuit, quod pallidus, & fuscus esset. Vt ex Maximo Tyrio habetur. alii autem, quia seruili & abiecta indole dehonestabantur, nil ferè boni ex eis sperabat, illos autem sanguinis nitore, carnium splendore purissimis humoribus constare coniiciebat, & ob id optime moratos, ut cum illis conuersans, optimo eorum genio frueretur. Theaetetus & Cherephon, quia diro pallore squallidi, veluti faeculentis humoribus, & intemperata temperie constantes, eos non nisi dolosos, inuidos, veneficos, homicidas futuros iudicabat, & ex eorum familiaritate non nisi exilia, peregrinationes, paupertates, & diros sortiri exitus, & id optimo consilio factum putatur. Nec opinionem suam frustrauit euentus: nam Alcibiades ad summum Reipublicae gradum peruenit, & suae patriae tyrannus euasit. Si Caesaris indolem cognouisset Cicero ei potius, quàm suis inimicis haesisset, nec capite & manu poenas dedisset. Habebam amicum, cui moesta, lugubris, & moerens facies

cies

cies erat, in risu eam ita contorquebat, & oculos deformabat, ut potius lugere, quàm ridere videretur: communibus amicis praedixi, fore enim infoelicem: cumq; ex agnatorum morte haereditatibus cumulatus diues euasisset, irridentes familiares meum vaticinium, mihi conuitiabantur, quod homini contraria praedixissem, respondi, suae fortunae incapacem futurum, nam aut bona amissurum, aut breui interiturum, quod paucis post diebus euenit, vix enim elapso mense interiit, quod si talem fortunam nactus non esset, fortasse diutius superuixisset.

Quatuordecim esse simplices hominum indoles, & Astrologorum sententiæ.

CAPVT VIII.

S*Ed vt videre videtur penitius Astrologorum placita perspicienti, non solum Iouem vidimus venerabilem formam largiri, sed vnumquemq; planetarum duplicem largiri, fortunatam vnam, infortunatam alteram. Fortunatam scilicet orientalis, diurnus, lumine auctus, & tandem bene dispositus; infortunatam occidentalis, nocturnus, lumine diminutus, retrogradus, deiectus, maleq; locatus, vnde faelicem planetam faelicem dare & conspiciendam, sic infoelicem horribilem, spernibilemq;, vnde cum septem errones ab eis numerentur, quatuordecim dari characteres pronunciamus. Vt Iuppiter bene dispositus, imperio dignam faciem condonare, maiestate plenam, & conspicuam, sic malè locatus, deiectam, & sine decore, sic mores, euenta, magisteria, & morbos. Saturnus foelix fuscā, sed conspicuam indolem, infortunatus, nigrā & squalidā, moerentem, & miserabilē: faelix contemplationē, religionē, doctrinam, & prouidentiam, infoelix melancholiam, insaniam, auaritiā, & peruersam sententiam de caeteris scientiis. Mars foelix praeclaram Ducis, & Imperatoris dat indolem, sed deiectus, temerarium, praecipito-*

cipitosum, iracundum, ac violenta morte moriturum facit: Idem de reliquis sentiendum. Nos autem haec non planetis, sed qualitatibus ascribimus, & Saturnium dicimus frigiduin & siccum intense, cum remissus agitur, Mercurialem, & quem illi Martium, nos intense calidum et siccum, sed calidum siccumque remisse Solarem: Eodemq; modo Iouium calidum, et humidum intense, remisse verò Venerium, et ob id magis ad foemineam mollitiem accedentem: nam pulchritudinem diximus in humido potius, quàm in sicco reperiri. Nos totidem indoles confirmamus ex calidi, sicci, humidi, et frigidi combinationibus, et aliquando intentius, aliquando remissius agi, et quam ipsi fortunam dicunt, nos puris humoribus, infortunam illi, nos foeculentis et impuris damus.



IOAN. BAPTISTAE PORTAE NEAPOLIT. COELESTIS PHISIOGNOMONIAE LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.



Nunc formas conſcribemus, quas Aſtrologi dicunt à planetis ſimplicibus, & mixtis euenire fortunatas, & infoelices, poſtea de reliquis. Veteres Philoſophi has ſecundas ſtellas vocabant, noſtris corporibus à ſuperioribus impreſſas: quorum opiniones paſsim coarguemus, ac noſtras ſemper aſsignabimus. Conabimur in ſequentibus, fixarum ſtellarum tradere, & quæ in Zodiaco, & quæ extra fuerint, ac ſignorum, & planetarum mixturas.



IOAN. BAPTISTAE PORTAE NEAPOLIT. COELESTIS PHISIOGNOMONIAE LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.



Vnc formas conscribemus, quas Astrologi dicunt á planetis simplicibus, & mixtis euenire fortunatas, & infoelices, postea de reliquis. Veteres Philosophi has secundas stellas vocabant, nostris corporibus á superioribus impressas: quorum opiniones passim coarguemus, ac nostras semper assignabimus. Conabimur in sequentibus, fixarum stellarum tradere, & quae in Zodiaco, & quae extra fuerint, ac signorum, & planetarum mixturas.



Quam formam Saturnus largiatur, ex Genethliacis.

CAPVT PRIMVM.

VT à Saturno incipiamus, Ptolemaeus de eius forma loquitur hoc modo. Quando Saturnus solus fuerit dispositor orientalis, hominem facit mellei coloris, mediocris crassitiei, pulchrorum, & nigrorum capillorum, et in pectore spissorum, mediocrium oculorum, et aptae corporis magnitudinis. Sed postquam à Ptolemaeo facile Astrologorum principe initium duximus, pergamus et breuiter caeterorum scita percurrere. Iulius Maternus. Hominem facit extenuati corporis, pallidi, languidique coloris. Messahala hominem formare dicit coloris inter nigrum et croceum, qui ambulando terram aspiciat, tardus et ponderosus, paruis oculis, et curuis pedibus praeditus, neruosa, et sicca cute obductus, raram in maxillis barbam habens, et labia crassa, et depressis naribus Leupoldus. Huc afferre licet Cassandrae formam, quae ex Darete Phrygio candida fuit, et rufa, ore rotundo mediocri statura, oculis micantibus, futurorum praescia.

Non membris egressa modum, non cæca futuri
Fulta gena tereti, suspecto crine cruorem
Mentitur, flagratque acie Cassandra micanti.

Saturnus si fuerit orientalis, et solus dispositor, natus erit coloris mellei, mediocriter crassus, pili in capite nigri erunt, et crispi, in pectore spissi, oculi mediocres, corpus temperate magnum.



Quod

Quod rectius hominum formas ex planetarum aspectibus inuestigare potuissent.

CAPVT II.

SEd id aptius inuestigare potuissent, oculos in coelum vtiq; surrigendo, nam planetas ipsos contemplando, voci compotes redderentur. Maximus ille rerum conditor rerum conditarum formas, veluti oculata pictura, occultas vires, & proprietates effigiauit, vt vnaquaeque suas vires, & proprietates aptissimè indigitaret, solus, idemque conditor in omnibus ferè suis operibus eundem ordinem seruauit. Sed quia de his latius in nostris Phytognomonicis tractauimus, illuc lectorem remittimus. Contuendo igitur, cunctatiusque contemplando planetarum, aliarumque stellarum aspectus, figuras, magnitudines, colores, motus, aliaque accidentia, poterit verius, & conuenientius hominum figuras, magnitudines, colores, motus, & alia coniectari. Si igitur in Saturni sydus aciē dirigent, illud luridi palloris, vel cuiusdam fuscedinis coloratum videbunt, quasi terrestrem proprietatem indicantis, vel plumbei coloris, languidi, vel potius obtusioris luminis inter errones, veluti atrae bili valdè congruentis: vnde homines colore fuscos & pallidos procreat, nigrorum pilorum, veluti atrae bili obnoxios. Et fuscedo in stella demonstrat eos nigris indumentis, & nigris cubiculorum ornamentis delectari. Sic pilorum, oculorum, & cutis color, stellae colorem imitatur: deiectiones alui subatrae, somnia terribilia, obscura, cadauera, sepulchra, tenebras, cruciatus daemonum, & res nigras. Eius magnitudo mediocris, vel à planetis minor, praeter Mercurium, ob id paruae magnitudinis natos procreat, & paruorum oculorum. In tantae suae sphaerae vastitate tardissimus, triginta enim annis suum motum absoluit, ob id incessu tardos, & cunctabundos producit, nec leniter sursum ascendentes, pulsum

dat

dat tardum, ſudorem acidum, & grauem. Eius magiſteria ſunt tardarum, grauiumque rerum, ob id non nare, non ſaltare, non currere diſcent, nec vbi leuitas, & corporis agilitas requiritur, ſed res tardas & ſtabiles, uti aedificia conſtruere, agros plantare, & his ſimilia. Et quia motus velocitas ſonum ſequitur, tarditas ſilentium, erunt homines paucorum verborum, patientes in operibus, & laboribus. Sphaera eius proxima primo motui rapidiſsimo, qui ab oriente in occidentem rapitur, ipſa in aduerſum nititur, & contrariatur, quippe ex Occidente in Orientem voluitur, ideo amatores rixarum, diſcordiarumq; rebellionum, & contrarietatum, & cum magis propinquus ſit contrarietati; prae caeteris planetis magis id ſignificabit, & quanto magis quis ab eo remotus fuerit, eò magis quietus & pacificus. Et tandem quod eius aſpectus teter, & faedus ſit, ideo infortuna dictus, & nobis aduerſus.

Quod hominum formæ ex temperamentis, non ex ſtellis eueniunt.

CAPVT III.

NOs eorum placita recenſuimus, non quod ea probemus, ſed tanquam aniles fabellas reiiciamus: nam ipſi eorum fallaciam cohoneſtantes, & res magnificas & prodigioſas tanquam è coelo & ſyderibus prouenire confirmantes, tanquam numina hominum mentibus infigunt, quae è Naturae fontibus eueniunt. Diximus Saturnios melancholicos, frigidos, & ſiccos dici, & ſi Medicorum placita recenſemus, Galenus frigidis & ſiccis & melancholicis corpus durum & fragile tribuit: capillos aſpectos, humidum, vel liuidum colorem, melancholicis nigros & hirſutos capillos, hirſuta & coniuncta ſupercilia, craſſa labia, & compreſſas nares. Alii tribuunt eis dentes male ordinatos, et pectus auguſtum: vnde haec non ex ſtellis, ſed ex ipſa proueniunt temperie, vt dogmata Medicorum ſanciunt.

De moribus, quos fęlici Saturno aſcripſerunt Aſtrologi.

CAPVT IIII.

A Scribens Saturniis ſuos mores Ptolemaeus, ait. Saturnus orientalis frigidam & ſiccam largitur complexionem. Maternus frigidae naturae dicit. At ſi geniturae dominus opportunè locatus ſit, & ei dominium creſcens Luna decreuerit, facit homines inflatos ſpiritu, ſublatos honoribus, bonos, boniq; conſilii, & quorum fides bono ſemper conſilio comprobetur, & qui negotia omnia recti iudicii rationibus compleat, ab vxoribus & filiis alienos, ſed ſibi ſolùm vacantes, circa aquas, vel in aquoſis locis habentes vitae ſubſidia, modicum ſumentes cibum, & potione nulla gaudentes. Vita eorum erit laborioſa, ſollicita, & aſsiduis animi doloribus implicata. Et alibi. Iſte, qui naſcitur erit prior omnibus fratribus, aut ſi quis ante eum natus fuerit, à parentibus ſeparabitur. Stabilis amicitia, longa prouidentia, regale conſilium, longas in homine cogitationes ſecretarum rerum, altum intellectum, ac profundam rerum ſcientiam. Hali dicit: Si orientalis fuerit, vincet in eius complexione frigiditas: & humiditas. Abdila. Saturnus ſi erit optime conſtitutus largitur ſcientiae profunditatem & conſilium adeò perfectum, vt meliorari non poſsit. Eorum magiſteria erunt laborioſa, & aquoſa, vt pontes, piſcinae, & emiſſaria. Alchabitius. Quem amare coeperint, perfecta, & vera dilectione amabunt; & quem ediſſe coeperint, quod ſaepius contingit, maxime, & diu odio habebunt. Hali. Si Saturnus fuerit dominus ſignificationis ſpiritus, per ſe, & ſeparatim, & in bono coeli ſtatu, ſicut in angulis: producit morigeratum natum, boni conſilii, profundi intellectus, vt qui à ſe ipſo ſuis in rebus conſilium inierit, diuitem, Regibus carum, & claris hominibus, theſaurorum dominus, compoſitus, non ridens, non triſtis, nec inuidus. Meſſahala. Callidus, ingenioſus, occiſor clandeſtinus.

Satur-

Saturniorum mores aptius ex temperamenti proprietate prouenire.

CAPVT V.

AT si nobis libeat Medicorum dogmata consulere, demonstrationibus sancitum videbimus, huiusmodi qualitates ex temperamentis potius prouenire: nam qui sicca, frigidaq; constant temperie, vel melancholico humore, moerentes semper sunt, imbecilles, & timidi. Melancholiae comes semper timor. Hippocrates Melancholicorum symptomata in duo collegit, metum & moestitiã, moestitia prosecuntur omnes quotquot viderint, & timidi, quia sicut externae tenebrae omnibus pauorem inducunt, sic atrae bilis color, mentis sedem inuadens, tenebris opplet, ac timore afficit. Ex melancholico sanguine fumi, & vapores cerebrum petunt, spiritumq; animalem ibi remissum obturbant, ideo varias imaginationes, apprehensiones, cogitationes, studia, & phantasmata cient. Vnde ex atra bile, velut ex quodam seminario pullulant simulachrorum, & cogitationum germina. Nigris indumentis vestiuntur, non, vt Messahala dicit, propter religionem (quia tunc temporis sacerdotes nigris vestibus induebantur,) sed quia atro humore referti, non nisi atra, & obscura videre semper concupiscunt, & laeta & splendida odio habent, ideo obscura, & subterranea loca prosequuntur, & libenter in eis versantur. Sunt prudentes, optimiq; consilii: nam atra bilis naturalis iudicium confouet, prudentiamq; largitur, vnde qui ingenio, sapientia, & consilio claruerunt, melancholicos fuisse tradit Aristoteles Problematum libro. Et quia minime iracundi, & voluptatibus se abstinentes, etiam prudentes habiti sunt. Et quia daliberando tardi, & segnes in omnibus actibus, optimi consilii existimantur, Quia frigidi & sicci, inepti sunt circa Veneris commercia, ob id morosi, coelibes; alicui ab

amoribus filiorum, & sine filiis. Erunt diuites, quia parci & auari; auaritia enim in senibus ex siccitate prouenit, & maiores nostri Saturnum impium; auarum, osorem vxoris & filiorum finxerunt, vt ex Diodoro Siculo habetur. Sunt laboriosi, quia non gaudent voluptatibus, sunt constantes & patientis animi, quia tardi motus corporis & animi. Sunt agricolae & aedificantes, quia his artibus, quibus se exercent, labor & tarditas requiritur. Aquosa, & paludosa diligunt, & satis bibunt, quia sicci.

De infælici Saturniorum indole.

CAPVT VI.

DIximus de iis, qui sub Saturno imperitantem genesim habuerint, nunc sub aegrescenti planeta. At Saturnus, si occidentalis fuerit, inquit Ptolemaeus, natum subnigri coloris facit, macilenti, parui corporis, planorum, rarorumq; capillorum, & magnorum oculorum. Hali autem. Saturnus si male fuerit affectus, facit natum turpem, & infirmum, erit incuruus: magnorum oculorum, habebitq; in altero maculam, & alter altero minor videbitur, crispus, magnae faciei, foedi aspectus: dentium diuersorum: Pectus subtile, vilia vestimenta & nigra habebit; erit grauis, piger, & nunquam ridet. Abdila. Crisporum capillorum, & multorum, angusti pectoris, & fusci aspectus. Dorotheus. Homo valde pilosus in corpore, et superciliis adprimè simul coniunctis. Leupoldus. Si Saturnus fuerit occidentalis, erit natus subniger, macilentus, parui corporis, planis et raris capillis, aptae coadunationis, et uincet in eo siccitas. Si infoelicem Saturni figuram antiquorũ cuipiam conferre licuerit, apte Aiaci Telamonio quadrabit, fuit enim ex Darete Phrygio.

Aiacem Telamone satum coma pulla venustat.
In torquem collecta leuem modulata serenis,
Lingua sonis, mens fraudis hebes, sed strenua bellis.

Dares verò crispa coma dixit, qui ex nimia melancholia in maniam deuentus, se ipsum trucidauit. Ptolemaeus ascribens et qualitatem, dicit occidentalem Saturnum esse frigidum, sicciorem q;, Alchabitius frigidum et humidum distemperatum ex humoris melancholici cum phlegmatis adustione, Hali, si fuerit occidentalis vincet in eius complexione frigiditas et siccitas: nam orientalis humidus erat. Homines facit paruae existimationis, sese abiicientes, incognitos, consulentes sibi ipsis per seipsos, inuidos: timidos, soliuagos, deceptores, moesta loca habitantes, laboriosos, inuerecundos, mendicos, amicorum proditores, morosos, austeros, sodalium, amicorumque conspectum subtrahentes. Abdila. At si erit male affectus, vilia prosequetur loca, cloacarum fosiones, subterranea, foetida, et paludosa, vitam ducentes in angustiis, paupertatibus, et laboribus, atratis vestimentis induentes, comedentes cibaria mala, vt carnes, et pisces foetidos, erunt deiecti, squalore et situ oppletis, luctuosi, afflicti, moerentes, suspiciosi malorum, inertes, et imbecilles. Maternus. Asper, foetidus, vorax, tenax. In eis semper egestas, exilium, nequitiae, solitudo, captiuitas, damnatio, pertinacia, perfidia: angustia, dolor, funera, luctus, orbitas, malefici, fures, vespillones, & tragici. Alii. Facit inuidos, pauci sermonis, infidos, querulos, odiosos, infoelices, deiectos, & mala audientes. Naturalis harum inclinationum ratio, atrabilis est. Sunt infidi & suspiciosi, quia timidi, & cauti, quia decipi timent, inuidi et maliciosi. Galeno ascriptus liber De ordine vtriusq; ordinis. Nigrae colerae, ait, mores esse furibundos cum iracundia, auaros, timidos, tristes, seditiosos, inuidos, habentes saepius cicatrices nigras in pedibus, vel aliis membris. Sunt dolosi, humor enim melancholicus, facit, ut his impensius, quàm par sit, delectentur.

De Saturninis morbis, & eorum naturalibus causis.

CAPVT VII.

Saturnus scribit. Saturninos semper malignus humor impugnat, eosq; intrinsecus dolor collectus assidua eructatione discutit. Hali, pedum rupturis & fixuris obnoxios fore; id tamen habet in se boni, quod longae vitae largitor est, polliceturq; divitias in senectute ex cognatorum haereditate. Sed quod hi morbi non ex Saturni stella, sed ex melancholica complexione eueniant, testes sunt Medici. Quod hircino, et foedo odore uitientur. Galenus, vel potius Aetii liber De dynamidiis ex abundantia caloris, vel frigoris malus odor in corpore generari dixit. Pueri non male olent, quia calor eorum humorem, et sudorem concoquere potest, virorum minime, proinde sunt iis humiditates crudae et indigestae, et ad corruptionem procliues, ideoq; sudores eorum, et resoluti illinc fumi grauiter olent, neq; enim calor latenter consumit, ut in pueris, sed extrudit potius, & uapores concitat. Sextus Pompeius, et Censorinus putant pueros hirquitallos dici, vbi ad virilitatem accedunt ex hircorum libidine, aut odoris insuauitate. Quia duri et sicci corpore, longaeui sunt, et qui longaeui sunt, saepius ex cognatorum haereditate ditantur. Quis enim tam solus, qui cognatis careat? Fixuras habebit in calcaneis. Laborabit phlegmaticis morbis, et melancholicis, congelatis, duris, compactis, et qui non curantur, vt squama, epilepsia, elephantiasi, morphea, cancro, scyrro, hydropisi, paralisi, hemorroidibus, dysenteria, coli et renum doloribus, & huiusmodi notae reliquis. Infirmitates etiam longas, malitiosas, laboriosas, et sollicitas patietur. Horum rationes indicat Galenus libro De tumoribus praeter naturam, qui ait. Lepram, scabiem, elephantiasim esse melancholicas affectiones. Itemque libro de bonitate et vitio succorum scribit, ex melancholicis succis lepras, psoras, quar-

tanas, scabies, & decolorationes nigras cum lienis tumore, nigras varices & hemorrhoidas. Et in Prognosticis Hippocratis, atrabilarii morbi, elephas, cancer, lepra, melancholia, & febris quartana. Praeterea melancholici magna ex parte comitiali morbo laborantes efficiuntur melancholici. Et Aristoteles Problematum libro claros homines atra bile laborare dixit, & epilepsiae esse obnoxios. Herculem ab eo morbo vexatum fuisse, ob id epilepsiam herculeum morbum dixerint, ità Lysandrum Lacedaemonicum, Aiacem, & Bellorophontem: hic enim solitarius auia prosequebatur loca, ille insania correptus seipsum interemit. Quod melancholia diuturnos morbos largiatur, libro Dogmatum Hippocrates non reticuit, & multis in locis in aphorismis.



In sequenti tabella Iouis imago visitur à sinistra sui parte à dextera autem Mercurius.



De forma, quam fœlix Iuppiter suis tribuit.

CAPVT VIII.



Vando Iuppiter vtiq; peculiarem habet dominatum, absolutamq; nactus potestatem, scilicet quando locorum dispositionis dominus fuerit, & orientalis, facit natos albos cum quadam coloris commendatione, capillitio mediocri, nigris oculis, & magnis, forma venerabili. Hali. Qui patitur Iouis influxum, est albus, ad flauitiem tendens, magnorum oculorum, paruae pupillae, mediocrium capillorum & crisporum, non extensorum, barbae crispae, & magnae authoritatis, eminentium faciei pomorum, narium crassarum, boni status, carne nec pinguis, nec macer, & longitudinis similiter conuenientis. Maternus. Corpus media moderatione componitur, & erit ipsius corporis forma, munda, & formosa, ipsi verò candidi, pulchris oculis, & capite, & spisis capillis ornati, fixo gradu vestigia ponentes. Messabala dicit facere hominem album, habentem oculos non prorsus magnos, pulchrae staturae, pulchrique corporis. Dorotheus. Nigros habebit oculos, pupillam latam, barbam crispam. Abdila. Honestum hominem, barbam rotundam, pulchros oculos, duos dentes anteriores caeteris maiores, atque aliquando aliquantisper diuersos, in cuius facie color aureus, albo admixtus, incedens terram spectabit. Leupoldus. Iuppiter si dictorum locorum dispositor fuerit, & orientalis, erit natus albus, mediae capillaturae, & similiter oculi, aptae staturae, & medianae qualitatis. Dicunt alii pulchris vti indumentis. Regiam Iouis formam & mores praetulit Troianorum Rex Priamus. Vt enim ex Nepote habetur.

Celsa duci Priamo late surgentibus armis,
Effulsit roseum ceruix caput ardua, scribunt

Membra virum, blandoq; genas terrore minaces
Regius ornet honos, placidæ vox nuncia mentis
Nil tumidum, nil triste sonat, propriorq; præcanti
Mollibus imperiis famulantes instruit aures.

Fuit suauis, moratus, & omnibus praeditus virtutibus. Non absimilem sortitus est formam Magnus Carolus Rex Francorum, albo enim etroseo vultu, fuluis, magnisq; oculis, succinta coma, fronte & ore adeo generoso & venerabili, vt verè augustae maiestatis specimen praeseferret vt, qui illud contemplarent, quasi diuinum venerarentur. Hic bellica virtute illustri, iustitia, vtraq; religione, liberalitate maiores omnes superauit.

Quomodo ex ipsius Iouis in cœlo aspectu, formaue rectius de natis iudicare potuissent.

CAPVT IX.

SEd si ipsi coelum circumspectassent, vidissentque vtiq; Iouem nitidum, luminosum, pulchrum, gratiosum, atq; adeò Veneri similem, vt non nisi peritissimus Astrologus internoscat, aspectu etiam iucundum & amicabilem, ob id fortunam vocitatum, & hominibus salutarem conclamatum. Est enim forma venerabili, & dignitate plenissima, ob id homines reddit, formosae apparentiae, compositae personae, compositos corpore & membris, dignitate plenos, maiestate decoros, & ab omnibus veneratione habitos. Eius lumen ex auro, & croceo candicat, & venustum est, ob id suos facit natos ex croceo, & auro candicantes, formosos & maximè venustos. Eius magnitudo grandiuscula, praeter luminaria, & Venerem. Ideo corpore non prorsus mediocres, sed maiusculos, per pulchros, & apta modulatione compositos. Oculi ad eius mensuram mediocres, eius motus à Saturno tardus, ob id vestistia tarde figentes, & incedendo

do terram spectantes, lentè incedentes, patientes, atque in eorum moribus moderatos.

Formam, quam Ioui dant Astrologi, ipsam ex calido & humido temperamento prouenire.

CAPVT X.

SEd quam dederunt Iouiis formam Astrologi, non vi planetarum, sed ex ipsa temperamenti vi demonstrabimus prouenire. Ptolemaeus Iouis stellam temperatae naturae dicit, & magis ad calorem, & humorem declinare. Qui nanque humidi, & calidi sunt, quales se esse ipsi Iouii profitentur, hi nanque huiuscemodi formam nanciscentur. Galenus libro De temperamentis ait, calidos & humidos multos sortiri capillos, robustos, modice nigros, nec crispos, nec omnino rectos. Et quia calidi & humidi, ideo recaluestres, fit enim caluities ex siccitate. Praeterea pingendo fit ex humiditate, gracilitas ex caliditate, modo ex his duobus simul contrariis qualitatibus fit eusarchia, scilicet medietas inter pinguem habitum & macilentum. Oculos magnos Democritus Abderita ex superflua humiditate prouenire dixit, Herophilus verò ex calido, ex vtraque igitur simul commixta magnos oriri oculos par erit. Sic pupillae laxitatem ex humiditate prouenire autumamus: humida nanque animalia: vt oues & caprae laxas habent pupillas, ichineumones verò, serpentes, & eiusmodi pernitiosa animalia paruas habent, quia sicca. Vel pupillarum laxitas oculorum magnitudinem sequitur. Porrò calidi & humidi sanguinei sunt, & qui sanguinei, optimè colorati, formosi, venusti, nitidi, hilares, laeti & iocabundi.

De moribus, qui ex Iouia forma proueniunt.

CAPVT XI.

IN Iouiis Ptolemaeus calidum & humidum praeualere temperamentum confessus est, si orientalis fuerit, at si occidentalis humidum. Alchabitius calidum & humidum, & esse aereum & sanguineum. Leupoldus. Si orientalis, humiditas praeualet. Maternus dicit, Iouem natos facere magni animi, magnaq; appetentes, & quibus semper fides habeatur, & qui ad magnos actus semper inflentur, ex quibus plus detur, quam patrimonii, aut paternae facultatis exposcat modus, in omnibus suis actionibus imperiosos, nobiles, gloriosos, honestos, & mundiciarum amatores, laetos, & qui omni ratione delectari desiderent, plurimum capientes cibum, multum appetentes, & quamplurimos amicos efficientes, simplices, & qui semper benefacere consueuerint. Vita gloriosa, notabilis, foelicitatis plena, & omnia quaecunque cupient consequentur, bonis conuersationibus adornantur; ac magnorum virorum testimonio proteguntur, vxores & filios tenero amore semper diligunt, & horum filii dignitatis maxima consequentur augmenta, ità vt & ad ipsos, ex filiorum honoribus magnum dignitatis meritum accedat. Si orientalis & bene dispositus, erit benignus, iustus, honorans senes, consultor, & adiutor indigentium, & diliget amicos. Magisteria erunt ex lege. Iuste & honestè iudicare, ponere pacem & concordiam inter litigantes, veridicus, bona & honesta praecipiens, sapiens, & boni intellectus. Iupiter calidus & humidus, sed adeò temperatus, vt eius propria virtus ad mortalium corpora nutrienda, ac per multiplices temporum soboles propaganda, sit accommodata. Cuius sanè significatio est formae dignitas, animi nobilitas, sana sapientia & intellectus, tum iura, leges, modestia, gratia, fides, & quicquid equus benè instituti viri potest animus

concipere. Significat regulos, duces, tribunos, ac dignissimos cuiusq; magistratus authores, spem, gaudium, continentiam, liberalitatem, hominum conciliationem, pulchrum, commodum suorum consilium, sermonem grauem, iucundum & festiuum, ac publico semper emolumento accommodatum. Hali. Si quando Iuppiter fuerit dominus significationis spiritus, seperatim & per se, & fuerit in bono statu, facit natum hominem magnae nobilitatis, laudis, & magnae famae, integrum, liberum, mansuetum, tacitum, & quietum, abdicantem se à vanis rebus, amatorem, & amatum ab hominibus artificiosis, pulchrorum & honestorum factorum, iustum, & boni meditatorem, magnae ostentationis & honestae, castum, vult esse solus in bonis factis, facit se diligi. Scit custodire, seruare, & retinere amicos. Addunt alii. Bonus, simplex, mansuetus, fidelis, legalis, horret malum, diligit bonum, iuuat pauperes, & veridicus, libenter bonum aliis faciens; fidus amicus, tractabilis, genio indulgens, amans sine riuali, sermone festiuus, gaudet equis, & canibus, ad vindictam procliuis, gestus habet cum magna dignitate spectabiles, laudis & gloriae studiosus, ac risu omnia condiens.

Ex calido & humido optimo temperamento optimos mores prouenire, non ex Iouis Stella.

CAPVT XII.

SEd quia optimum temperamentum omnia optima signa temperata prosequuntur, & exinde maximas propensiones ad bonos mores eueniunt, non autem ex Iouis stella. Diximus in libro De humana physiognomonia ex iusto, & aequabili temperamento, non nisi propensionẽ ad iustos mores, siue ad iustitiã prouenire, sic ex calido, & humido tẽperamẽto omniũ optimo, nõ nisi ad virtutẽ iustitiã omniũ virtutũ nobilissimã prouenire, et quae oẽs virtutes cõplectatur, ideo iustos efficiet,

iusti-

iustitiam amantes, honestum, ac bonum facientes. Eorum magisterium lex erit, quae docet iustitiam exercere, consultor veridicus, sine fraude et dolo, rixarum et litium compositor, et temperementum, quod in ipsis experiuntur, contrarietates et rixas, vel discordias in aliis videre non patiuntur. Ob id regentes, et gubernatores, et aliis imperitantes, dirigentesq; sunt. Ex optima quoque eorum temperie, optima quoque mentis acies; unde prudentes, sapientes, & optimi erunt consilii. Praeterea quia eorum temperamentum aereum est, et aer est calidus et humidus, ideo quae in spiritu, et anima sunt maximè aerei, scilicet inflati, tumidi, magnanimi, et magna appetentes, et qui ad magnos actus semper inslentur, et qui plus largiuntur, quàm paternae facultatis modus exposcat. In omnibus actionibus imperiosi, nobiles, gloriosi, et semper laeti. Et qui optimum temperamentum consequuntur, optimam formam simul consequentur; eorum optimis moribus et desideriis melior fortuna sequetur. Vita eorum gloriosa, notabilis, foelicitatis plena, et omnia, quaecumq; cupiunt, consequuntur: dignitatis maxima augmenta. Multum cibum capientes erunt & luxuriosi, qui namq; optimum nanciscuntur temperamentum, quicquid comedunt, citò digerunt, et ex digestione accedit voluntas comedendi. Praeterea qui calidi et humidi sunt, luxuriosi sunt, ex hoc namq; temperamento oritur luxuria. Hirci calidi et humidi sunt, ob id semper luxuriosi, & qui calidum & humidum semen habent, foecundi sunt, gaudentes, & hilares semper, quia gaudium & hilaritas in sanguine est. Ob id Hippocrates: Quod alii tristes, alii hilares sint, causam esse in elementis dixit, nam qui defaecati sunt sanguinis, laeti sunt. Homerus dixit ob caloris copiam ob id laeti, & in omnibus rebus delectari se cupientes. Significat iustos iudices, et magistratus, & significat omne bonum, quo vita fruimur, quia omne bonum in mediocritate consistit, & ipse temperamentum & moderationem significat, quia ab omni excessu remotus. Significat virtutes, quia ipsae in medio vitiorum sunt, sic etiam sanitatem, quia

sanitas

ſanitas in bona temperie conſiſtit, ſic conſilium ac prudentiam, quia illae conſiſtunt in bona effectuum temperie, quod nec impetu, nec ſegniter res agitur. Eſt patiens quia ſapiens, qui ferre poteſt labores, & incommoda. Dat opes, quia hominem facit laborum patientem, prudentem, blandum, & fidum. Amat vxores, quia luxurioſus, & foecundus.

De morbis, quos dat Iuppiter, eosq; non à ſtella, ſed ab ipſo temperamento prouenire.

CAPVT XII.

AEgritudines Iouis ſunt quicquid euenit ex ſanguinis abundantia: non ità ſuperfluitans, vt exterminet naturam, nec ex ſanguine aduſto, & corruptibili. Valetudines circa iecur ex viuo faciet, vel ex cruditate, mors verò ab hilaritate, & deiectione victus, vel alui, ex Veneris vſu. Ex Materno. Morbi ex ſanguine. Peripneumonia, homoptoe, pleuritide, exanthemate, conuulſione, gonhorrea, lyenteria, & alii, qui de ſanguine, cum in quantitate, vel qualitate peccat, leuiq; quaq; occaſione ſanguinem è naribus, vel de opportuno corporis meatu excernit. Nos autem hos morbos non a ſtella Iouis, ſed quia calidi & humidi, facile nudant, & parumper hircũ oleni, pulſos habent plenos, pulchrarum rerum gaudent, & rubra laetius vident. Pauci ſunt morbi ſanguinis: ſed hoc ab optima temperie. Conſtans eſt Medicorum dogma ex optima temperie malum peruenire non poſſe, modo ex calido & humido optima temperies, vnde pauci, vel nulli oriri poſſunt morbi. Temperatum, ſiue eucraton ſtatum dixere Ariſtoteles, Theophraſtus, Stoici, & Athaenei ſequaces, caliditate, & humiditate pollentem, ſed morbis laborabunt, quibus pueri, qui calidi & humidi ſunt. Et quia ſanguis verè abundat, ideo tunc temporis aegrotare ſolent Aeſtate, & Hyeme bene ſe habebunt, minuſq; laeduntur autumno,

no, vt ex Galeno habetur Aphorismorum secundo. Et quia sanguis in iecore generatur, ibiq; perficitur, diciturque sanguinis officina, ideo morbis à iecore.

De infortunata Iouis indole, moribus, & morbis.

CAPVT XIIII.

P*Tolemaeus ex Ioue occidentali nasci viros colore albos, sed indecēti, recaluos, aut rigidis capillis, statura mediocri, ac humido, magis distemperatos. Hali. Si occidentalis Iuppiter, formosior erit, quia eius oculi mediocres, & caput paruum. Messabala verò, habere nares breues, & non aequales, caluum, in aliquo dentium habentem nigredinem. Maternus. Verum Iuppiter ex accidenti aliquo, ob nimiam fortasse de se confidentiam, inconsultum significat rerum agressum, atque difficilem, quandoque ex tali causa operum exitum, significat enim pacientem animam, sed vltionis auidam. Hali. At si status huius planetae diuersus fuerit à praedicto statu, facit mores, & spiritus nati similes his praedictis, nisi quod erunt debiliores, & gignantur ex hoc diuersi ingenii, eritque vice liberalis, destructor, & loco casti, & religiosi, credens in aliqua magna credulitate, & looo mansueti timiduss & loco nobilitatis vilipendet homines, ex loco faciendi bonum, collocabit illud in malis locis, & his similia. In complexione eius, quod magis apparet est humiditas. Benatus. Est ignarus bene faciendi, versatus circa vetitas operationes, studebit hipocrisiae, morabitur in locis orationum, in cripus, & cancruosis locis, & speluncis, & illa occasione futura praedicet, nullos habebit amicos, filios abhorret, cum nullo conuersabitur, infidus, malus, debilis, insipiens, laboriosus, & electionis paruae. Quae omnia & si in peius ruant, ex physica ratione accidunt, ex nimia scilicet humiditate, quae temperamentum corrumpit, nam humiditas cum calore temperata, coloratos homines reddit ob id albos, ait, sine coloris decentia.*

Recaluus fit ex luxuria quippe si complexio ad humiditatem vergit, luxuriosus euadit, unde & caluities. Maculae in capite ex defectu temperamenti, unde maculae ex occidentali Ioue, in dentibus eueniunt ex defectu caliditatis. Mores praedicti, erunt debiliores, quia ad humiditatem accedunt, idest ad muliebrem mollitiem. Ideo loco casti, parum lasciui, loco religiosi, debiles in religione, loco mansueti timidus, ex loco faciendi bonum aliquando malum, & quanto peior est foemina natura viui tanto peior occidentalis Iuppiter ipso orientali. Ex occidentali enim Ioue, plures, & ferè omnes eueniunt infirmitates, nam in orientali paucae, in declinanti multae.



In hac tabella in dextra sui parte Mars, in sinistra Saturnus conspicitur, vt ex statuis marmoreis & æreis numismatibus decerpsimus, ita ab Astrologis descripti.



De forma, quam Martis stella natis largitur.

CAPVT XV.



POSCIT ordo de Marte verba faciamus. Inquit Ptolemaeus. Cum Mars orientalis extiterit, eius forma erit rubedinis & albedinis particeps, bonae quantitatis, & idoneae carnositatis, oculi eius varii, capilli spissi, & mediocres. At Iulius Firmicus Maternus. Mars dominus geniturae facit hominem rubeis capillis, & oculis cruentis, & deformem. Hali. Si Mars ex Oriente effulxerit, est inter album & rubeum, corporis mediocris, pulchri status, oculorum Zarchorum, capillos habebit spissos inter crispos & extēsos. Messahala. Facit hominem facie rubeum, habentem capillos rubeos, faciem rotundam, leniter eam dehonestantem, oculos magnos, & croceos, in pede dextro maculam habentem, & id ex raro fefellisse. Dorotheus idem quod Messahala. Sed Abdila dixit. Caput curuum & crassum, color faciei rubeus mixtus cum nigro, vt qui per Solem incedunt, quasi nō verè ruber, aut niger. Menelai forma Martem indicat, erat enim ruffo capillo, ac mediocri statura, animosus & praestans in armis, iracundus, clamosus, vt ab Homero describitur, ex Darete Phrygio.

Gratior æquato Menelaum forma venustat,
Fulta statu, virusque comæ geniale rubentis
Mens domat, ipse astu mentitos indice crines
Arguit, acceptos noto, gratusque merenti.

Martij formam ex ipso syderis aspectu dignosci posse.

CAPVT XVI.

SI oculos in coelum attollimus, Martis rutilum sydus, igneum, & veluti carbonis accensi rutilans aspiciemus, ob id pyroxis appellatum, quia color flammae similis, aestuantis, igneae qualitatis nobis referens argumenta, & rubrae bilis, ideo horroris, & formidinis plenum, ut merito ab antiquis infortuna dictus sit, & eius naturam ex ipsius stellae colore tractam videmus. Inauspicatum sydus, & non salutare, & prosperum, sed minax & terribile, ideo infoelicis vitae, violentae mortis, & igneorum morborum nobis notas inurere, ut nec socii eius societate delectentur. Graeci ἄρης, ἀπὸ τοῦ ἀναιρεῖν, *hoc est à corrumpendo, aut* ἀπὸ τοῦ ἀρῆς. *Phornutus scribit à damno & interitu nomen indeptum. Ptolemaeus Martis stellam urere, & arefacere dixit, sicut cõpetit igneo ipsius colori. Quia rubeae igneitatis, & iracundiae, ideo nobis rubram auget bilem, faciem rubri coloris, rubros, & cruentos oculos ingerit. Flauae bili praeest. Sydus corpore non est magno, ob id natos facit corporis moderatae qualitatis, duobus annis suum circuitum absoluit, ideo natos non tardi, nec concitati gressus, ob id in ambulando magnos passus, & non tardos faciet.*

Martis formam ab ipso prouenire temperamento.

CAPVT XVII.

CAlidae temperaturae signa ostendimus in nostris Physiognomonicis esse carnem tangentibus calidam, hirsutam, & minus habentem pinguedinis, colorem rubeum, & capillos nigros. Alii dicunt. Cito crescentes, venas apparentes, anhelitum manifestum, vocem firmam, fortem, &

agrestem, cito sudant, & digerunt bene, pili crassi, & crispi; mores lasciui. Siccae verò, corpus gracile, & durum, carnem tactu asperam, iuncturas manifestas, capillos, & pilos asperos & crassos, coloris rubei. Comedunt & digerunt benè, in laboribus durabiles.

Martis stellas quos mores largiatur.

CAPVT XVIII.

P*Tolemaeus inquit. Si Mars in orientali effulxione, in eius complexione vincet caliditas & siccitas Alchabitius dixit, bene calidum complexionem. Leupoldus. Vincet in eo caliditas, & siccitas. Maternus. Facit inuictos, et qui nullis rationibus subigātur, immobiles, contentiosos, tardos, violentos, audaces, periculosos, & qui assiduis decipi soleant. multum comedentes, & carnes crudas non bene coctas, & cibos digerentes, imperitos, & principalia sibi semper vendicantes potestatis insignia, neque circa vxores, neq; circa filios, neq; amicos bonos habent effectus, vt qui res alienas inuida cupiditate desiderant. Artes, quas exercent erunt ex igne, & ferro ignito, idest praecisiones & combustiones. Hali. Si Mars fuerit dominus significationis spiritus, & in bono statu, gignit natum fortem, amabilem, iratum, amatorem armorum, & rerum armis conuenientiū, audacem, quoniam amat diligere, & agitare praelia, exponit se periculis, nulli obedit, nec se submittit, renouator rixarum, locutor factorum, et audacium facinorum, et iactat se de his, et acutus praeponit se rebus et factis. Vilipensor rerum omnium, amat uicere, auarus, semper iratus, et nihilominus prudentium morum in suis rebus. Addunt alii. Gaudent rubris indumentis, circa filios et vxores non propensi, ob id optimè finxerunt Poetae Herculem vxores et filios occidisse, non nisi bella audenti vnimo concupiscunt, et bella serere conantur. Ad exemplum magnum Sfortiam afferemus, fuit enim statura corporis erecta, mediocri, macro*

potius

potius, quàm succoso habitu, praeualidis artubus, firmissimo quodam neruorum nexu, cruribus ad suram maxime perstrictis, manu ampla, digitorum compage adeo firma, vt distractam in diuersum, vtraque manu ferream equi soleam facile disrumperet, lato pectore, latisque humeris, ventre adeo restricto & castigato, vt angustissimè cingeretur, quandoquidem in medio à duobus primis ab vtraque manu expansis, lunatisque digitis facile praecingi posset, erat facie subagresti, parum laeta, rubro pallore subfusca, oculis coesiis minacibus, ac intra cauos orbes reconditis, naso adunco, sed tamen os praeclaro quodam militari decore ornabatur, vt mira indoles ex agresti vultu effluebat, vt Martios decet, vt ad ingentia facinora natus ex humilissimis natalibus videretur. Fuit vulnerum, & periculorum contemptor, nunquam ab acie, nisi victor discessit, excitabatur diu, noctuq; ad magnorum ducum nomen, & si quid ei bello praeclare gestum nunciaretur, commoto animo suspirabat. Ad omnes militiae praefecturas foeliciter ascendit, ad opes, & honores. Sed ex agresti, & parum laeto vultu, aliquid infoelicis Martis nunciabatur, quippe violentā mortem minaretur: nam equum in Aternum amnem adigens, tunc fluctibus intumescentem, coenoso subsidente vado, posterioribus cruribus defecit, ac grauantibus armis submersus interiit. Fuere multi Martii, praeclarae indolis, qui egregie in armis floruere, sibique immortalem gloriam peperere, quorum memorant historiae. In praesentiarum subeunt in memoriam Galeatius, & magnus Sfortia. fuit enim Galeatius facie rubore perfusa, oculis fragrantibus, ignitisque, sub crispa & fulua caesarie, lato pectore, erecta ceruice, decenti statura, impiger, audax, ad pericula belli subeunda promptus, vnde cito per oēs bellici muneris ordines decurrit, honore, ac diuitiis auctus. Sed eum laetalis & vehemens febris inuasit, nihilq; de saeuo impetu remittēte, triduo assumpsit morbus, vt Martiis contingit. Ex antiquis historiis Pyrrhus à Darete Phrygio describitur. Fuit magnus, virosus, stomachosus, blesus, vultu bonus, aduncum, oculis rotundis, superciliosus. Nepos.

Ore

Ore virum fastus, indignatique minaces
Suspendens ceruice genas, liuore superbo
Obliquat socios Pyrrhus, scribuntque ferocem.
Ardua membra, teres oculus, proiectior aluus?
Texendis vox aequa sonis, teneroq; laborans
Eloquio, lingua blesos frustratur hiatus.

Erat enim ignei coloris, ita dictus Pyrrhus πυρρὸς *à fuluo capillorum colore, Politem, & Priamum obtruncauit, etiam ipse ab Oreste obtruncandus.*

Ex calido & sicco tempetamento Martis mores non ex sydere prouenire.

CAPVT XIX.

AT eiusmodi mores non ex stellis, sed ex ipso eueniunt temperamento? quippe Galenus & alii Medici sexcentis in locis dicunt, qui flaua bile affecti sunt, ad iram propensi & concitariores sunt. Argumento quoque esse potest hominis aetas: nam ab anno quatuordecimo, vsque ad quintum & vigesimum rubra bilis dominatur, & nunc homines cholerici, biliosi, audaces, iracundi, & insolentes efficiuntur. Sunt praeterea audaces. Galenus in eo libro, Quod animi mores corporis temperaturam sequantur, ex biliosis humoribus (ex Platonis auctoritate) corpus peruagantibus, & animae penetralibus se permiscetibus, audacia efficitur. Idemq; in eo libello De natura, & ordine cuiusque corporis, ex bilioso humore, audacia, furor, inconstantia prouenit. Cum calor efferbuerit, in flammas euolat, vnde Martius aestus prouenit, & praecipites reddit, vt qui praeposteris consiliis omnia agant, & periculis temere se dent. Praeterea ab ipsa bile animi solertia, memoria, ingenii acuitas, & eleuatio prouenit. Ex commentariolo De dignitatibus Hippocratis. In libello De anatomia

mia viuorum ait. Rubra cholera facit homines ingeniosos, & acres, & multum comedentes, & coeuntes. Et quia calidi sunt, comedũt libenter carnes crudas, quia humidioris cibi appetentiores sunt, & facile eos concoquunt. Sunt sine amore, quia amantes in calido & sicco sunt temperamento, ideo vxores & filios non diligunt. Mobiles sunt, quia praepr operi in agendo, ideo stare loco nesciunt. Leues sunt, ob id peregrinationes facile subeunt, & quia inconsulti, & festinantes, absque ratione, & commoditate itinera suscipiunt, ob id angustiae, labores, & incommoditates eis accident. Ad summum valida complexio superbos, imperiosos, inconsultos, & audaces facit.

Morbi, quos Astrologi à Marte prouenire dicunt, non à stella, sed ab ipsa flaua bile proueniunt.

CAPVT XX.

SEd praestantissimi Astrologi prodidere, quod pulsus habent magnos, & colores & vrinam flauam, igneã, mordacem, sudorem acrem, salsum, et amarum, deiectiones flauas, somnia ignita, incendia, homicidia, lites, furta, et febres calidas, quae omnia fiunt ex cholera non adusta, dat phrenesim veram, et non veram, pustulas sanguineas, impetigines, albaras, et valetudines aduentitias, quae fiunt in corpore praeter naturam, cum asperitate atque foeditate, pruitus, lentigines, et patientur pauores, et cegitationes horribiles, homines inquietantes, et quicquid tandem cum inflammatione caloris. At eiusmodi morbos non è syderibus, sed ex humoribus prouenire sanciunt Medicorum dogmata. Galenus namque super Aphorismos Hippocratis. Pustulas biliosas per totum corpus dispersas, erisipelas, idest serpigines, tertianas, et ardentes febres ex biloso humore prouenire dixit. Et libro De naturalibus facultatibus. Calidi morbi à flaua bile, sic libro De vtilitate respirationis.

Forma, mores, & morbi, qui ex infœlici Marte proueniunt.

CAPVT XXI.

PTolemaeus. Mars si occidentalis extiterit, nasus tantum rubri coloris erit, et moderatae corporis qualitatis, paruos habet oculos, capillos raros, planos et flauos. A quo Leupoldus. Si in occidua statione Mars fuerit, rubeus tantum erit, corpore mediocri, paruis oculis, capillis raris, planis, et flauis. Iulius Firmicus. Mars geniturae dominus facit homines rubeis capillis, et oculis cruentis. Hali. Mars si fuerit occidentalis, est rubei coloris, simplicis rubedinis, paruorum oculorum, corporis mediocris, capillorum ad albedinem tendentium, faciem habet rotundam, et fortè in ea maculas, magnum caput et anterius prominens, in fronte percusionem aut signum, magnas aures, aspectum acutum dentes longos, carnem modicam, in suo incessu magnos faciet passus. Messahala dixit, quod facit hominem rubeam faciem habentem, capillos rubeos, faciem rotundam, leuiter eam dehonestantem, oculos magnos et croceos, aspectum horribilem, habentem in pede sinistro maculam, et hoc raro fallere. Dorotheus de aspectu illud idem. Sacerdos. Mars dat homini curuum habere corpus, ipsumque semirubrum, ita quod non verè rubrum, nec verè nigrum, sicut habent illi, qui nimium morantur in Sole, vel diutius per calorem incedunt. Et aliquando Martius habet grana rubra in facie, et vt pluries raros gerens pilos in barba, velut spado. De eius complexione Ptolemaeus dicit. Vincit siccitas. Alcabitius calidam complexionem, et siccam, distemperatam, igneam, cholericam, et amari saporis. Leupoldus idem, quod Ptolemeus.

De eius moribus Hali haec habet. At si natus Martem habuerit male constitutam, facit eum sine verecundia dehonestatorem, amatorem interfectionum, & suppressorum clamorum, quoniam

alta voce loquitur, innouatorem rixarum, leuis & pauci sensus, depraedatorem viarum, quia in eo non est pietas, sed est malefactor, permutabilis in rebus suis, abhorret cõsanguineos, & ipsi eum. Ignorat Deum, nec scit, quid ipse sit. Maternus. Natura calidus & siccus, iracundus, vehemens, incitata saepius iracundia praeceps. Cuius significatio est proditio, pugna, coedes, audacia, temeritas, timor, fugaeq; difficultas, perfidus, obcoenus, incautus, amator, facilis offensio, varia cogitatio, nullum consilium. Significat quoque violentos principes, feros, inhumanos, alienae semper caedis appetentes, periuros, dolosos, inconstantes, maledicos, incõpositos, omnia contaminantes, omnia polluentes, diuina & humana promiscue habentes, ingeniosos tamen, ad omnesque conatus suos mutabili quadam versutia promptos. Significat enim deformem, inuerecundum, ingratum. Chyrurgiam ex artibus exercet, & quicquid cruenti sanguinaria quadam voluptate perficitur. Alii. Facile peregrinationes subibunt, in quibus accident labores & angustiae, & praedationes, libenter offendent miseros, & quos poterunt, gaudent effusione sanguinis, combustione, & decapitatione. Sequentur fures & tabernarios, superbos, & mendaces, periuros, falsarum monetarum decisores, & chartarum, abscissores viarum, ductores exercituum, praeproperi in agendo, & inuerecundi, minaciter loquuntur, incedunt per ignem, per enses, rapaces, contumeliosi, furiosi, & prauorum morum. Graecum Metionem infoelix Mars accusat, nempe mediocri statura, rufum, corpore iucundo, vitiosum, pertinacem, crudelem, impatientem describit Dares. à quo Nepos haec addit.

Impia præcipitem natura Metiona mergit
Inuidiæ cinctum stimulis, curæque tenacis
Defessum excubiis, teretes cumulatur in artus,
Carnea massa tumens, animumq; ebullit Erymnis,
In caput, in corpus reliquum liuescit inustum
Sanguineis pectus maculis, gena disputat hydris

Inditio pectore virens & mentis anhelans
Accusant, furiasque flammati incendia crinis.

Morbi & pericula, quibus incurrere debent. Maternus. Vitia ex igne, & ferro, idest praecisiones & combustiones, atque ex altissimis locis frequenter periclitantur, & extrema corporis frangit, mortem verò dat repentinam, atque violentam. Dat febres calidas, quae fiunt ex cholera adusta, & sine causa, dat phrenesim veram & non veram, pustulas sanguineas, impetigines, albaras, & valetudines aduentitias, aegritudines comedentes corpus, vt cancri, & similes, ignem sacrum, patientur pauores & cogitationes horribiles, & quicquid ex inflammatione caloris. Sed expositis exemplis, multa quae scribimus rudibus erunt apertiora. Fuit & Petrus Nauarrus vir Martius lato ore, ac decora indole, sed nescio quid funesti, vel lugentis in eo videbatur, color carnis & pilorum ruffus, aut mauis ferrugineus, corpore mediocri, magnis oculis, cruentisque, facie & barba rotunda, capite magno & anterius prominenti. Fuit in rebus bellicis vir praepollentis ingenii, ac in excauandis cuniculis, immissis tormentarii pulueris fomentis, violentia obluctantis flammae, turres, oppida & arces subuerteret; multas victorias consequutus, sed victus, & praeliando captus in arce noua Neapolitana, quam ipse coeperat, carceribus detentus fuit, postremo carnificis manum non aufugit, quin strangulatus interiret. Sed haec ex physicis eueniunt rationibus. Nimia siccitas, & immoderatus calor perdit potius, quàm fouet, vt qui ex igne generatur, corporis vitia producit. Ex intemperato ardore, & vehementi bilis commotione intemperatae, & vehementes in homine perturbationes excitantur, & violenti & inconsiderati effectus producuntur. Ad summum quia calida complexio superbos, violentos, & inconsultos facit, ob id homicidae, grassatores viarum, periculosi, & qui ab amicis sufferri nequeant, male morati, sui profusi, aliena appetentes, summis viribus res arduas tentāt,

superciliose loquuntur, ceu oestro perciti fuerint, litem vbique mouent, et ex lite litem componunt, fel in ore, ignem in corde. His moribus si solertia & ingenii acuitas addatur, quam diximus ex flaua bile prouenire, fiunt decisores monetarum, cartas falsificantes, vt facile euenire possit, vt vulneribus confossi, igne, capite, & violenta morte mulctentur. Haec enim vitia hae solitae sunt sequi poenae. Galenus libro De differentiis febrium, herpetes, & erisipelas ex flaua bile. Et Plato, referente Galeno, libro De decretis Hippocratis. A flaua bile sacri ignes, erisipelata, herpetes, & inflammationes omnes, quae in corpore accenduntur, proueniunt. Et libro De naturalibus facultatibus. Calidi morbi à flaua bile. Sic libro De vtilitate respirationis. Biliosus sanguis si in vapores biliosos soluatur, ad phrenesim, idest ad mentis perculsionem inducit. Et tertio De locis affectis Ex eadem bile fiunt ferina deliramenta. Ex his igitur deliramentis ad praecipitia & nefarias mortes inclinantur, gaudentes igne, sanguine, & carnificina.



In hac tabula Luna à dextris Sol à sinistris aspicitur.



De Solari forma ab Astrologis descripta.

CAPVT XXII.

PTolemaeus Solem & Lunam non dare natis peculiarem formam, sed vnumquemq. planetarum adiuuant, quibus associantur in figura, sed specialiter formositatem, & magnitudinem largiri. Idem ab eo sensit Hali. Leupoldus & Dorotheus. Sed Maternus, cum Sol geniturae domino coniunctus fuerit. Agamenon quia magno corpore & venusto, ac indolem maiestate plenam praeseferebat, ac imperio dignam speciem, Solarem fatemur: praeterea consilio, prudentia, & humanitate pleno, quae omnia Sol largitur. Nepos ex Darete.

Martius ornat honos Agamemnona fusa vigorem,
Celsaque membra fauent, vultu præcone potestas
Enitet, & Regem species armata profatur.
Mixta virum phalerant, cirrho candente decoro
Virtus, nobilitas, diues, facundia, prudens.

Sed Maternus: cum Sol geniturae domino coniunctus fuerit, facit homines corpulentos, & moderate compositos, & quorum caput flauo capillorum crine lucescat. Messabala. Si Sol Orientalis fuerit. facit hominem colore inter croceum & quasi nigrum, & tectum quodam rubore, vel aemulum: breuis statura, vt in quibusdam crispum, & pulchri coloris. Dorotheus. Figura Solis crocea, habens parum rubedinis capillorum, & oculi eius aliquantulum crocei. Abdila. Facit homines carnosos, pulchrae & albae faciei, oculorum quandoque magnorum, in quorum facie color albus, citrinus, coniunctus, pulchram & plenam barbam: capillos etiam gerit extensos. Et quando fuerit in ascendente, erit in facie nati signum, capillos habebit inter croceos participantes quodam rubore. Hali.

Sol facit hominem crocei coloris, crassum, album, & oculorum aliquantulum foras prominentium, faciei rotundae, & lucentis, capitis magni, & extensorum capillorum, pii aspectus, raucae vocis, mediocris longitudinis, composite incedentis. Alii. Facie leonina, capillo flauo, facie pulchra, & in pueritia gratiosa.

Quomodo rectius ex ipso solari globo potuissent eadem inuestigare.

CAPVT XXIII.

SEd prisci illi, coelorum interpretes ex ipsius stellae aspectu, & naturae opiferam & salutarem faciem cognoscere potuissent. Sol est colore croceus, vel rubeus ad album tendens, ob id homines gignit albae & croceae faciei, & capillorum. Et quia eius radii circa corpus extenduntur, & circumfulgent, aureo colore crispantes, ob id capillos extensos, flauos, & crispos facit. Magnitudine inter planetas satis conspicua, omnium maxima, rotunda, venusta, & satis digna conspici. Ob id oculos magnos, facie & capite rotundis venustos, corpulentos, gloriosos, pii aspectus, & conspicuae formae. Eius corpus quasi foras extat, semiglobus protuberat, ob id oculos foras prominentes producit. Inter planetas mediocriter incedit nec piger, nec festinus, nam anno vno suum motum absoluit, ideo in motu, nec festinus, nec tardus, sed compositos in incessu natos facit. Eius motus vniformis non variatur, nec alteratur, sed semper similem seruat incessum. Inter planetas lumine saepe orbatur, & eclypsim patitur, ob id vitia oculi quamlibenter largitur, orbitates, & coecitates, & est, vt in coelo fons luminis, sic oculus in homine, quo videmus. Non errat, vt alii planetae, ideo parum errantes, et eorum rationes ostinatè defendentes facit. Quia splendidus et luminosus, ideo splendentes et venustos facit. Quia in medio planetarum consistit, tres à superiori habens parte, totidem ab inferiori, et cir-

cum

cum circa ab eis ſtipatur, et veluti quodam ſatellitio obſequitur, ſuper omnes principatum obtinet, et omnes corroborat.

Solis formam ab ipſo prouenire temperamento comprobatur.

CAPVT XXIIII.

IN *primo Apoteleſmatum Ptolemaeus Solem dicit vim habere calefaciendi, et leniter deſiccandi, quae affectiones facilius ſenſibus percipiuntur, quàm aliarum ſtellarum propter magnitudinem, et euidentem anni mutationem in ſuis viribus, et temporibus. Sed quos iſti ſolares vocant, nos vehementer calidos, et in ſicco et humido temperatos dicimus: ex humiditate enim et caliditate fit homo corpulentus et carnoſus, faciei carneſae, albae, et mediocriter compoſitus, ideſt non breuis ſtaturae. Ex caliditate verò et ſiccitate capilli euadunt flaui, criſpi, et extenſi, et rubri vel crocei coloris, et plena barba, ſic prominentes oculi ex caliditate, humiditateque. Vox firma ex caliditate, raucitas ex humiditate, ſic compoſitus gradus, aut inceſſio ex intemperata humiditate, & caliditate: nam intenſa caliditas celerem gradum, & ſuperflua tardum, ex vtroque compoſita inceſſio, compoſita erit.*

Mores, quos Sol largitur.

CAPVT XXV.

SOl *igitur, vt Maternus inquit, quando cum geniturae domino coniunctus erit, facit homines fide plenos, ſed cuiuſdam ſuperbiae ſpiritu inflatos, ſapientes tamen, & omni aequalitatis moderatione compoſitos, humanos, & qui ſuos parentes integro amore colant. Facit agricolas, patrimonia propria virtute quaerentes, efficaces, cordatos, &*

qui semper aquosa regionum delectatione laetentur. Facit enim tales, qui omnes actus cum maxima honestate perficiant, sed hi ab vxore, & à filiorum erunt affectibus separati. Alibi. Significat quoque Reges, & Principes, non atroces, non difficiles, non iniquos, sed iustos, affabiles, ac tractabiles, mansuetos, & omni virtutum genere honestatos, superbiae tamen spiritu quandoque inflatos. Significat graue eloquium, maturum consilium, seuerum iudicium, & splendidum cuiusque rei, magnificamque penitus actionem, omnem quoque nitorem, & claritatem, atque regium apparatum, fortitudo animi corporisque, honestas, magnificentia, victoria, perspicua mundicies, incredibilisque apud omnes expectatio, & quicquid videtur ad regium apicem pertinere. Alii. Dat regna, magistratus, & honores, facitque homines dignos, quibus honor habeatur, gratos Principibus, sermone raros, ambitiosos, sublimem animum, honestum, largum, gloriosum, ac sumptuoso vestitu gaudentes, non multum cibum sumentes.

Ex calido, & sicco temperamento, humidoq;, eius mores, non à solari stella prouenire.

CAPVT XXVI.

CAlida, humidaq; complexio, vel calida, siccaque super hos facit, sic inflatos, ambitiosos, generosos, largos, ac sumptuosis vestibus vtentes. Ex optima igitur hac compositione, sapientes, cordatos, & qui omnes actus maxima honestate perficiant. Et quia quando compositio optima & aequa est, vt diximus in Physiognomonicis, facit homines omni aequitatis moderatione compositos, humanos, & qui parentes suos integro amore colant. Si verò in siccitate plus abundauerit, pudicos facit, ob id non vxoribus gratos, nec filiorum amantes, sed quia, vt diximus, nobiles, magnanimi, generosi, inflati, ambitiosiq;

tiosiq;, grauis aspectus & generosi, ob id potestates consequuntur à Principibus, & eis gratissimi erunt.

De Solaribus morbis, qui non à stella, sed à temperamento proueniunt.

CAPVT XXVII.

A*Strologi dicunt calidas & siccas infirmitates largiri Solem solere, vt venenum calidum, & corporis purgationes, vitia & infirmitates oculorum. In hominibus dextrum, in foeminis sinistrum, quae omnia à siccitate & caliditate veniunt complexionis, non à stellis.*

De infœlici Solari forma, moribus & morbis.

CAPVT XXVIII.

P*Tolemaeus ait. Si occidentalis fuerit, homines facit habentes statum plusquam mediocrem, colorem aemulum, capillos flauos & extensos, & aliquantulum crispos. Maternus. Ambitiosa existimatio, omni honorum cupiditate. Facit morbos frequentes, ex igne comburi. Mortis exitus in peregrinis locis, violentos, subitosque decernit. Sic & morbos comedentes carnem, quae omnia à sicco, & calido intenso proueniunt.*

Cum Solis participatione aut solarem Hectora fuisse natum iudicamus, nempe Sol aut Luna paululum impediti, oculos natis impediunt, nam coecos, strabos, & debiles visus faciunt. Dares de Hectore. Blesum, cādidum, crispū, strabum, pernicibus membris, vultu venerabili, barbatum decenter, bellicosum, animo magnum, ciuibus clementem, dignum, & amori aptum. Nepos cuumulatius vertit.

Hector magnanimum librato culmine pectus
Erigit, interto candet coma crispa capillo,
Succinctum complexa caput, blandeque recisos
Furatur vox blanda sanos, pernicia membra,
Mens placida in ciues, faciem lanugo serenam
Induit, ac visus acies obliqua cadentes
In geminas spargit partes, semperque supina
Occiduum stabilem contristat lumine vultum.



A dextra huius parte tabellæ Venus visitur.



De Veneris forma ab Astrologis descripta.

CAPVT XXIX.

EX numerosissimo stellarum choro, benefica, salutaris, adiutrix, & humanae naturae amica est Venus, genitale astrum, & eiusdem nobiscum temperaturae. Ptolemaeus ait. Veneris opera Iouis operibus assimilantur, propter quod ea, quae per ipsam contingunt, pulchriora sunt, & magis recipiuntur, eiusque pulchritudo, mulierum pulchritudini magis assimilatur. Erit enim melioris figurae, & corporis melioris. Ex ipsius proprietatibus oculos subruffos facere, & idoneos. Leupoldus eadem. Maternus. Venus geniturae domina si fuerit effecta, dat corpus longum, candidum, oculos gratos, venustatis splendore fulgentes, spissos capillos, aut molliter flexos, aut gradata pulchritudinis venustate componit, aut crispos crinium facit, hostritis conatos, aequales. Alibi. Ex habitudine corporis pinguedinem potius significat, sed venusto decore ornatam, debilem autem & aduersa saepius valetudine fatigatam. Per eam significatur omnis decor, omnisq; venustas, ornata vestimenta auri subtegmiue elaborati cultus, argentiue, aut tyriae murices purpura honestari. Hali. Venus similis est Ioui, nisi quod ex peculiari quodam beneficio ei contingit esse formosiorem, ac maioris venustatis, melioris conceptionis, & pulchrioris formae, quoniam formositatem significat conuenientem formositati mulierum, & est magis mansuetus, & corporis blandioris, & propriè oculi eius sunt inter Zarchum, & nigrum, & pulchrum. Aliqui dicunt, quod iam aliquantulum baZus cum rubedine mixtus, debilis, pulchri aspectus, nigredo oculorum suorum maior albedine, subtilium superciliorum, & iunctorum, & subtilium labrorum, multae carnis in facie, angusti pectoris, breuium costarum, crassorum crurium, blandi aspectus, & saporosi, & pul-

chrae

chrae faciei, ludit oculis suis, & credit id pulchrum esse, capillos habet aliquantulum crispos. Messahala dicit. Hominem album declinantem ad aliquam nigredinem, & ex inde videbitur magis decens, pulchram habentem staturam, pulchros oculos, quorum nigredo aliquid maior, quàm in aliis reperiatur, tamen decens, pulchros capillos, faciem rotundam, non tamen magnam, neque maxillas. Dorotheus dicit, hominem facere pulchram faciem habentem, pulchros oculos, quorum nigredo erit plusquam apparens, pulchros capillos & multos, crassum, album & rubore infectum. Abdila dicit. Venus pulchros facit capillos, & pulchra supercilia, in eundo se nulliter gerit, aut aliquid agendo, mediocris staturae. Alii rosei coloris dat faciem, oculis fulgentibus humidis, & qui facile ad flexum inclinentur. Forma eximia.

Quod ex ipso syderis aspectu, citius omnia poterant præsagire.

CAPVT XXX.

Sed, vt in aliis diximus, si oculos in coelum substulissent, ex ipsa syderis facie haec omnia, & sine inter eos contradictione, certius poterant praesagire. Quia vt Iuppiter à nostro aspectu blandius excipitur, immò oculos nostros allicit ad eius inspectionem, vnde fit, vt eam dicant amicam, & salutaria spondentem omnia. Et quia Iouis stella fulgore similis aspectus, & pulchritudine: ideo similes effectus largitur. Et quia minus splendet, & magis molliter, blandius & amicius nostris oculis se insinuat, pulchriorque apparet. Ob id homines facere pulchros, ad foemineam pulchritudinem facile accedentes, & homines molliusculos, & delicatulos, & in motu, & in negotiis segnius & cunctatius se gerentes. Eius color ex candido in atrum languescit, vel roseo fulgore micat, ideo oculos subruffos, vel rauos, vel nigros efficit, gratiosos & venustos. Et quia prae caete-

ris

ris fulget, vt etiam eius lumen vmbram faciat, vt Luna, & scintillet, ideo oculos fulgentes & scintillantes, quasi ludentes facit, & lasciuius se mouentes: Sydus est magnum, ob id corpore longos, & staturam bene compositam, roseam, & stellae colore coloratam.

Veneris formam ab ipso prouenire temperamento, non à sydere.

CAPVT XXXI.

V*Idemus Venerem croceo albo radicantem, tum humectã dicunt, & naturae indicare temperamentum. Ptolemaeus Iouem dixit calidi, & humidi temperamenti, & Veneris formam ferè eandem cum ipsa Iouis. Sed caliditas magis temperata cum calido est, quàm erat cum Ioue. Ob id venustas & pulchritudo Veneris est magis muliebris, blanda, molliuscula, & delicatula, & in rebus agendis tardiuscula. Roseus in ore fulgor ex sanguine superabundanti, qua scatet complexio, & nimia humiditate oculos, vt in vase aqua se mouentes demonstrat, ex eaque humiditate eorum oculi fulgore quasi scintillare videntur. Sic subtilia supercilia, & labia, multae carnis in facie, angusti pectoris, breuium costarum magnorum crurum, sequuntur foemineam cõplexionem, vt in nostris Physiognomonicis de muliebri, & virili forma retulimus. Sanguinei enim sunt crassa corporis habitudine, color albus cũ rubedine cõmixtus, corpore, visuq; floridi, venusti, hilares, & rubicundi. Rubro vestitu gandent, quia sanguinei, & tauri, quia sanguinei, cum rubrum colorem aspiciunt, adeò gaudent, vt efferentur. Quae omnia Galenus in libro De dynamidiis copiosius pertractat.*

Neque ab Paridis forma abhorret, quam describit Nepos ex Darete.

Im-

Imperij cupidus, habiles prolatus in armos,
Siderea vernat acie Paris, ore serenus,
Eloquio lenis, pede præceps, strenuus armis,
Vertice flauescens, frontemq; auctura superbam
Præreferat tonsura genas, in summa recurrens
Tempora, neue vagans formæ furetur honorem
Cæsaries, vtranque comam sua detinet auris.

Mores, quos Venus largiatur.

CAPVT XXXII.

DE Veneris moribus loquens Hali, dicit. Quando Venus fuerit significatrix spiritus nati, separatim & per se, & fuerit in bono statu, procreat natum quietum, mansuetum, bonum, minime vitiosum, lympidum, bonarum cogitationum, is etiam amat saltare, & est magnus Zelotypus, rixas abhorret, amator magisteriorum, & subtilium operum, bonae formae, bonorum signorum, veridicorum & bonorum somniorum, facit se diligi ab hominibus, factor boni, pius, bene dat, & bene accipit, foelix, et communiter maior pars suae voluntatis erit in causis mulierum. Maternus. Venus facit homines delectabiles, laetos, assiduo luxui vacantes, amabiles, gratos, venustos, amatores, libidinosos, iustos, pios, apud quos integra, & incorrupta amicitiae vicissitudo permaneat, potu multo gaudentes, ac paruum cibum sumentes: omnes cibos facile digerunt, qui semper venereos coitus, et crebro cupiditates ardore desiderent, in omni vita nobiles, & mundi, et quorum vita, animus et institutum musicis semper delectationibus inhaerescant. Tum balnea, fuci, odorataque opobalsama, gratia, iocus, Camenae, in chorumque locupletatus applausus. Significat quoque formosas in primis virgines, iocosa sponsalia, amores, elegias amatorias, indignationes, insidias, quaerelas, pacis rursus atque amoris redintegratio-

grationes. Significat etiam conuiuia, ientationes, dulciaque tragemata, siue bellaria, et quicquid sapore dulce, ac volupe est. Significat etiam mutuam hominum dilectionem, pietatem, fidem, credulitatem, summamque in omnes humanitatem. Alii. Cantores & lepidos facit, omnes amicos habent, florum & mundiciarum amantissimi, cuticulam splendidam curant, sibi ipsis placent, statum corporis decorum habent, molli capillo, in cute delicatulo, gignendae proli, & propagando generi deditissimi, pietatis, & misericordiae studiosissimi viuentes ociosè, & delicatè, delectabitur muliebribus ornamentis, vtetur pro ornamento sui corporis pulchris indumentis, & mundis. Magisterium ex eis, erit perfecte perficere, & sine labore. Erit homo ludi, risus, alachritatis & gaudii, libenter delectabitur societatibus, comestionibus & potationibus, confidens aliis, & saepè deceptus. Erit largus, & cupit audire sonos, erit suauis moribus, & bonus auricus, induet vestimenta alba, sapores diligit unctuosos, beneuolus, dulcia & mollia effudit verba, dulcissima habet eloquia, osula iungit amica. Corporis & sui vultus studiosissimus, pulchris figuris delectabitur, & odoribus, facile ad fletum pronus, ob id & misericors.

Mulieres quae Veneream formam sortitae, hae sunt, quae ex antiquis & recentioribus historiis suppetunt. Helena, vt Dares Phrigius narrat, similis fratribus fuit Castori, et Pollaci, capillo flauo, oculis magnis, facie pura bene figurata, corpore deducto, ore pusillo, cruribus optimis, inter duo supercilia naeuũ habuit. Cornelius Nepos ita vertit.

Tyndaridis geminis geminum nihil, vnicus ambos
Oris honos ambit, similis flauescit vtrique
Crinis, par hilares augescit risus in orbes.
Aequis membra modus, concordes pectora motus
Conciliant, spirantq; vnum gena, lumina, mores
Sola pares varijs præsumunt nomina formas

Distinxisse notis, aut victor vindice vultu
Eludit dubios error, vocumque repugnans
Disidio, alterno confundit nomine nomen.
Inclyta cognatos æquat spartana Lacones
Vultu, crine, genis sociæ cunabula stirpis
Par oris testa tur honos, at plenius haurit
Sidereum Ledea Iouem, totosque per artus
Lacta materni spirant mendacia cygni.
Nati uum frons fundit ebur, caput exerit aurum
Aequatis crinale comis, gena candida byssum
Aequat, dextra niuem, dens lilia, colla ligustrum
Auris inex pleto crispata volumine, visus
Excubitor, nasusque vagi venator odoris.
Poscunt alternum titulo certante triumphum.
Productum modice mentum candescit, & al ta
Lenius vt præsis insidant basia labris.
Parcius in roseum consurgunt ora tumorem.
Fundit apex humeros pre ssum tegit vbera pectus,
Ilia succingit leuitas, tractusque lacertos:
Pes breuis incessu terram libante supino
Lasciuum suspendit iter, currumque decora
Mobilitas compto libramine ponderat artus.
Sola superciliis labes interflua raris,
Audaci macula tenues discriminat artus.

Fuerunt & apud nos nobilissimae mulieres, Veneris formam referentes, vt ipsae Veneres essent, sed omnes lasciuiae deditae, iocis, choreae, cantibus, & sonis, deliciisq; vitam, pugionibus, vel veneno periere, etiam me admonente, ac praesagiente.

Quod eius mores ex calida & humida temperatura proueniunt.

CAPVT XXXIII.

GAlenus libro De vsu partium ait, ex sanguine principaliter fit sperma. Et in librum Hippocratis De natura humana, vt non immerito calidi et humidi temperamenti homines sunt luxuriosi, et perpetuo coitu gaudentes, fornicatores vsque ad mortem, ideo feruidi, et ad sobolem procreandam idonei. Propterea sanguinea temperies, siue calida et humida, vt superius diximus, facit natos delectabiles, assiduo luxui vacantes, amabiles, gratos, pios, misericordes, bonos, amicos, multo potu gaudentes, delectantes musica, odoribus, & sui corporis ornamentis sumptuosis, pulchris, et mundis, et cultus suae faciei: nam formosi videri desiderant. Et ex eo dicit Galenus De dynamidiis libro, sanguinem homines blandos facere et formosos, sanguinemque etiam bonum facere animum simplicem, modestum, et blandum.

De morbis, quos dat Venus, non ex stella, sed è qualitatibus.

CAPVT XXXIIII.

AStrologi morbos Venerem praestare aiunt, qui accidant in membris genitalibus, quando est male affecta. Ob id Maternus ait, vitia facere circa naturalia, et necessaria, mortes verò notas, gloriosasq; decernit. Morbos circa genitalia, gonhorream, obstructionis rerum, vesicae, vteri, et pudendorum dolores. Nos autem dicimus, quod luxuriosi vsque ad mortem luxuriantur, et luxuriosi cum meretricibus versantur, vt facile eiusmodi morbos contrahant.

De infœlici Veneris forma, moribus & morbis.

CAPVT XXXV.

QVae de Iouis forma infoelicis, moribus & morbis diximus, scilicet illicita stupra, incestus, adulteria & caetera id genus, eadem de Venere imaginandum.



In sequenti tabella à dextra parte Mercurius visitur.



De forma, quam Mercurio Astrologi ascribunt.

CAPVT XXXVI.

MErcurius quando orientalis existit, referente Ptolemaeo, natus erit coloris mellis, eritque in quantitate corporis moderatus, aptae coadunationis, paruorum oculorum, capillos habens mediocres. Maternus. Si Mercurius dominus geniturae fuerit, facit semper corpus modicum, & gracile, & quorum faciem tenuis pallor inficiat, oculos verò pulchritudinis honestate exornat. Hali. Facit hominem pulchrae apparentiae, & compositae staturae. Et alibi. Quando fuerit orientalis, facit colorem nati sicut mellis recentis, & est modici corporis, paruorum oculorum, mediocrium capillorum. Dicitur etiam de Mercurio, quod est coloris viridis, mixti cum baZitate capillorum mediocrium, villosus, angustae frontis, crassarum aurium, pulchrae faciei, naris compositae, superciliorum coniunctorum, amplorum membrorum, & blandorum, minutorum dentium, rarae barbae, macer, boni status in corpore, in incessu suo est passuum minutorum, ac minutorum membrorum, patiens. Messahala. Homo erit non albus, nec multum niger, habens frontem eleuatam, faciem longam, nasum longum, oculos pulchros, non ex toto nigros, raram nigramque barbam in maxillis, longos habens digitos. Abdila. Homo gracilis corporis, staturae saepius mediocris, habens pulchrã barbam, & raram, & paruam, subtilia habens labia & nasum. Bonatus. Color castaneolus, siue oliuaceus, membra satis apta simul coadunata, oculos paruos, capillos mediocres, tàm in quantitate, quam in colore, in cuius complexione praeualet caliditas. Alii. Paruum dat corpus, gracilem faciem, et pallidam, oculis paruis, et pulchris, puerile quodam referentibus.

Quod

Quod rectius ex ipso stellæ aspectu Astrologi Mercuriales possent iudicare.

CAPVT XXXVII.

SI quis in coelum oculos substollit, videbit in eo mercurialem stellam, in qua omnium colorum mixtura reliquorum planetarum renidet. Videbit in ea Saturni luridum, Martis ignem, Iouis candidum, Veneris flauum, nec non vtriusq; nitor, hilaritasque, & ob id non peculiaris formae, sed eorum formam capit, cum quibus associatur, ob id in describendo eius colore Astrologi differunt. Alii dicunt Mercurio non esse faciem vnam, vt qui virorem quandoq; repraesentat, nunc fuscedinem, nunc aliud, quod crocei coloris aliquid ostentet, ob id in mercurialem colorem describendo omnes sunt differentes. Ptolemaeus natum facere dicit mellini coloris, vel subnigri, vel crocei participantis, & oculi colorati, vt caprarum oculi. Sed Maternus pallida dicit facie. Messahala, non album, nec nigrum clarum, oculos non ex toto nigros, nigramque barbam. Hali verò. Mellini veri coloris, oculi nigri. Est autem stella aspectu parua, vel non magna, ob id corpore paruo, puerili, & paruorū oculorum, intra cauos orbes recessorum, subtilia labia & nasus, & caetera membra parua, minutorum dentium, exilis vocis, angustae frontis, & minutorū membrorū: est enim viuissimi luminis caeterorum planetarum, ob id acuti intellectus hominem facit, non festinus in motu, sed moderatus vt Sol, ob id moderatus erit natus in incessu, & minutorum passuum.

Quod

Quod Mercurij forma ex ipso prouenit temperamento.

CAPVT XXXVIII.

Nobis Ptolemaeus insinuat orientalem Mercurium calidum, occidentalem verò siccum. Quidam sentiunt potius frigidum & siccum, vnde ex siccitate corpus fit gracile, & pinguedine carens, macilentus. Et ex nimia siccitate oculi fiunt caui, & interius positi, sic & labia subtilia, & vox exilis; oculi crocei bile tincti sunt, idque ex nimia siccitate prouenit, vt sunt oculi caprini.

Mores quos Mercurius largitur.

CAPVT XXXIX.

Hali inquit. Si quando Mercurius fuerit significator spiritus separatim & per se, & fuerit in bono statu, facit natum subtilis intellectus, & cogitationis, ac bene figurandi, & retinendi omnes rationes, sicut gesta, & relationes gestorum. Hic etiam lucra diligit mercimoniorum, bene raciocinatur, et loquitur, in naturalibus rebus versatur et perquirit res, bene intelligibilis & acutus, et dominabilis. Amat scientias, maxime quadriuium, scrutator secretorum, et foelix. Ex Materno. Geniturae dominus si fuerit Mercurius, facit cordatos, ingeniosos, cuncta discentes, modestos, et omnia artium secreta discere cupientes. Modicum cibum potumue sumentes, ex quibus omniũ scientia literarũ merito conferatur, et qui propter literas, et propter docti sermonis ornatũ assiduis soleat legationibus fungi: et quos secretarũ, ac religiosarum literarũ archana delectent: facietq; magistros, aut Grãmaticae artis, aut oratoriae, aut physicarũ literarũ interpretes, ac magistros, et qui omnia negotiationis officia facili ratione pertractent, accipientes pariter, et dantes, et exhibentes

bentes facile commercium. Erunt sanè in omni negotiatione solliciti, vtiles, et qui substantiae facultates suis iuribus colligant patresfamilias, sanè ab omni luxuriarum sepositi voluptate, iusti, sibi vacantes, & à conuersatione publici strepitus separati, & qui omnes religiones quadam animi trepidatione suscipiant. Alibi. Mercurius commixtae est naturae, aut ei cui pariter commiscetur, vel aliqua forti radiatione coniunctus promiscuo commixtionis assensu, non difficulter adhaerens: eius significatur peritia, ingenium, ratio, facundia, iracundia, deceptio, iocosumque furtum. Tum enthimemata, syllogismi, sophismata, poetica, musica, astrorumque, & totius Matheseos perscrutatio. Significat fideles amicos, vates, sortilegos, augures, ac diuina interpretatione decoros, mercatores quoque, legatos, oratores, & qui fraudulenta saepius calliditate decipiant. Significat etiam cuiusque artis lucubrationes, rerum occultarum, ac secretorum inuentionem, blandum sermonem, sanum consilium, delitias, voluptates, ambitiones, quaestus, ac aeraria tributa, & quicquid gloriae potius, quàm vtilitatis causa conquiritur. Tum simulatam conciliationem, dubium atque inuolutum affectum, vilem animi commiserationem, ingratam vocis modulationem, sed in omni acuto cuiusque artis opificio solertem manum, accommodatissimumque ingenium, tum ad rerum occultarum miram inuentionem, tum ad earum celerrimam perfectionem.

Eiusmodi mores à temperamento non à sydere prouenire.

CAPVT XL.

G*Alenus ait biliosos homines esse acutos, lenes, ac macilentos, Astrologi orientalem Mercurium calidum dicunt, ideo Galenus biliosos, calidos, & siccos dicit quamplurimis in locis. Oculi crocei & capilli flaui idem arguunt. Praeterea Galenus in libro dogmatum Hippocra-*

tis ait, bilis est sensus acuere. Et libro De anatomia viuorum ait, virtus moralis dicit euenire inconstantia, subtilitas, & acuitas, solertia, audacia, eleuatio, memoria, & velocitas responsionis. Et libro De natura humana. Animi acuties & intelligentia per succum biliosum, & sic sexcentis aliis in locis. Ob id istos Mercuriales cordatos dicunt, & intelligentes, & omnia secreta discere cupientes, faciliusque perdiscunt Rhetoricam, & Grammaticam, scilicet sermonis ornatum, & ob id frequentibus legationibus funguntur. Humor acutus est, & ob id sollicitos reddit, praesertim cogendarum diuitiarum. Et quia sicci, non luxuriosi, & non nisi ad illicitam, & profanam libidinem inuitantur: ob id vxores & filios spernunt, & quia sicci sunt, auidi, parci, subeuntes pericula, & labores propter lucrum.

En Ioannis Pyci Mirandulani effigies.

Fuit Ioannes Pycus Miradulanus, coloris fului, gracilis, ac commensuratae quantitatis corporis, oculis paruis, flauis, facie obducta, naso praelongo & tenui, tenuibusque labiis, facie puerili, sed tam decora, vt ferè angelica videretur. Fuit & tanta ingenii altitudine & memoria, vt merito inter mortales foenicis nomine appellaretur, incomparabili in disputando & scribendo facundia, vt omnes à scribendo deterreret. Philosophus, & Mathematisus, Theologiae arcana perquisiuit. Fuit & lectissimus moribus & animi candore, celebs vixit, vt virgo moreretur, modici cibi & potus, studiis & vigiliis fatigatus, iuuenis interiit.

Vlisses ex Darete ita describitur à Nepote.

Ore hilaris, modiceque humiles collectus in armos
Dux Itachus prudens, consultum pendere, grarus
Obliquare dolos, doctus captare loquendo.



De morbis, quos dat Mercurius, & de physicis rationibus.

CAPVT XLI.

INquit Maternus. Patientur Mercuriales animi aegritudines, paruipendendo magna, & magnificando parua, cogitationes horribiles, & mentis inquietationem, & debilitationes, ut aliquando dementes videantur. Sed hi morbi non à stellis, sed flauae bilis alumni sunt. Galenus libro De vtilitate respirationis. Ex flaua bile fit phrenesis, ex libro De locis affectis, deliramenta.

Infœlicis Mercurij forma, mores, & morbi.

CAPVT XLII.

PTolemaeus. Mercurius si fuerit occidentalis, erit subnigri coloris, croceique participans, macilentus, vocem habens exilem, & cauos orbes, & erit ipsorum oculorum pupilla velut pupilla oculi caprini declinans rubedini. Leupoldus. Si Mercurius erit occidentalis, erit subniger, crocei coloris, communiter macilentus, vocis exilis, comis orbatus, & pupilla est declinans ad rubedinem, vt caprae siccitas in eo praeualet. Hali. Sed si fuerit occidentalis, erit eius color inter baZum & croceum, macer, subtilis vocis, oculorum profundorum, & eorum pupillae assimilantur pupillis caprarum, tendentium aliquantulum ad rubedinem. Et in eius complexione vincit siccitas. Si verò planeta fuerit in diuerso statu: producit natum fraudulentum, loquacem & vanum, hic etiam nititur aliis persuadere, quod ipse non credit, voluntatem & consilium suum sequitur, facile permutatur, leuis in sensu, cito diuertitur à prrposito, stultus, multi erroris & manifesti, conuertibilis in factis suis. Dicit alibi. Si fuerit male affectus, vel si cum Saturno communitatem aliquam habuerit, inanibus artibus dabunt operam, neq; verae, neque legitimae chymiae, & à communi lege seorsum variant, miras fabellas sibi fingentes, alias sibi narratas credunt, alias ipsi narrant. semperque in chimeris, & vanis cogitationibus versantur, libenterque audiunt commenta de doemoniis, ac spectris. Simulans meliorem esse, quàm sit, magis diligit amasias, quàm vxores, lasciuiis illicitis deditus, & deuotus. Maternus. Si maleficarum stellarum fuerit minaci constellatione consternatus, humoribus vitia decernit, & si Luna fuerit male collocata, spaticos, lunaticos, aut caducos facit, & mors illi, aut ex aquis, aut ex humoribus semper infertur. Alii. Facile corripiuntur comitiali morbo, insania,

& lu-

& lunatici efficiuntur, morbis contagiosis corripientur, impetigines, vitiligines, elephantiases, lepras pepetientur. Dicunt praeterea quod si Mercurius cum Hyadibus, & Pleiadibus, aut Orionis stellis simbola habuerit, quae stellae maleficae sunt (Nos autem dicimus si bilis illa flaua cum atra melancholia iuncta fuerit) erunt turbidi ingenii, habebuntque turbidam, & obscuram mentem, non longe à mania: ob id inanibus, & nefariis artibus dabunt operam, in diuinationibus Necromantiae, Chymiae, & eiusmodi scientiarum desiderio tenentur, semperque in chymeris, & vanis cogitationibus versantur, libenterque audiunt, loquunturque de spectris, strigibus & daemoniis. Sed id non ex stellarum coniunctionibus, sed ex humoribus turbidis, atrabiliariis, melancholicis. Siccitatis enim & melancholiae est trahere ingenium ad peiora. Suntque visu pallidi, crocei, macri, hirsuti, & horribiles. Contra verò qui claris humoribus, vt bile, & sanguine scatent, nobilissimi ingenii sunt, Philosophiae, Theologiae, & Mathematicarum scientiarum secreta rimantur, iisque nobilissimis scientiis operam nauant. Hi nidulos ructus expectorant, sudorem insipidum exhalant, lotium pallidum, croceum ex terra reddunt. Si autem iungatur cum Luna, idest cum humiditate, idest cum pituita, videlicet humida de causa, fiunt conulsiones, & morbi lunares, ex Galeno.



In

In hac tabella Luna à dextris Sol à sinistris aspicitur.



De corporis forma, quam Genethliaci Lunam præbere dicunt.

CAPUT XLIII.

PTolemaeus Lunae non tribuit formam, sed iuuare in temperie, macie, vel humiditate. Eadem ab eo Leupoldus, & Maternus. Sed alibi. Bene disposita Luna facit homines corpore magnos, sed tamen proportionatos scilicet, & si corporatos, honesta tamen corporis pulchritudine venustat, multum cibum sumentes, pauco potu gaudentes, sed impeditos oculos facit. Corpus dat candidum, sed quadam macularum varietate signatum. Messahala. Luna orientalis facit hominem album coniunctum cum roseo colore, vergentem in macilentiam, supercilia beneuola, oculos non ex toto magnos, faciem rotundam, staturam ex toto pulchram. Abdila. Hominem facit mediocris staturae, rotundae faciei, habebit oculum percussum, vel erit strabo, vel oculorum orbis alter altero altior, tandem alter oculorum vitio carebit. Sed in mulieribus dexter oculus, in viris sinister. Hali. Luna facit albos, pulchrae faciei, pulchrum aspectum, pulchrae barbae, clari coloris, & lati corporis.

Quod rectius Genethliaci cœlum aspicientes de lunari forma ex ipsius syderis aspectu decernere potuissent.

CAPUT XLIIII.

SEd quae isti de Lunari forma decreuerunt, & de moribus ab eo prouenientibus, quod diuturna experientia consecuti sunt, si altius inspexissent, illicò certiori & coloratiori fortasse causa decreuissent. Quia magnum sui corporis specimen praebet inter planetas, ob id bene disposita, magnos corpore homines facere: & quia perfectae globositatis, rotundae,

tundae, exactaeque circinationis et proportionis, ob id homines & si corpore magnos, proportionatos tamen, faciem rotundam, & oculos & magnos. Luna est facie albicanti, in qua non nihil palloris, totumque corpus quibusdam maculis variegatum, ob id homines albos non coniuncto colore roseo, sed ad pallidum vergenti, & corpus quodam macularum varietate signatum, viros in quamplurimis obsignauimus, & praecipuè foeminis, nam delicatioris cutis, & nitidioris candiditatis sunt. Velocissima est planetarum, nam vigintiocto dierum spatio suum perfecit orbem, diuersisq; faciebus apparet, singulisque hebdomatibus sui luminis vices semper variando disponitur. Primis septem diebus, veluti diuisi orbis, excrescit, dicotomos Graecis dicta, altera totum orbem renascentes ignes colligendo iam complet, tertio item ad medietatem decrescendo contrahitur, quarto sui luminis diminutione minoratur, amphicortos, vel vtrinque gibba. Vnde nunquam in eodem statu permanet, ob id instabiles homines & mutabiles propositi facit, & qui variis rebus delectentur, quique semper peregrinari concnpierint, idque ob faciei mutationem, luminisque & motus. Et quia albicantis luminis, humiditatis indicium, quod verò quippiam sit nigricantis, frigoris signum dicunt. Saepissimè eclypsim patitur, lumineque orbatur, ob id strabos efficit, vitiatos aut nebulosos oculos, aliquando orbatur tota lumine, aliquando eius pars, ob id saepissime homines toto visu orbatos, aliquando strabos & lumine vitiatos. Vt idem facere testantur alia sydera nebulosa, vt Aselli, Pleiades, & similia.



Quod

Quod humani corporis dispositio non à Luna, sed ab ipso prouenit temperamento.

CAPVT XLV.

SEd quam ipsi Lunarem corporis formam nuncupant, naturales rectius frigidam, & humidam, vel phlegmaticam temperiem dicunt: dum saepissimè talem vsurpet complexionem: nam inter planetas varias habet qualitates. Ptolemaeus verò, Artefius, & Archofalus dicunt Lunam à coniunctione Solis vsque ad primam quadraturam humida est, ad oppositionem deinde vsque calida, & inde vsque ad aliam quadraturam sicca, & vsque ad coniunctionem postea frigida. Sed Astrologi eius formam describentes frigidam & humidam dicunt. Frigida igitur, & humida qualitas facit homines pingues, magnos, carnosos & rotundos: est enim humiditatis priuilegium rotundare membra, vt diximus in Phitognomonicis, & ex frigiditate pilorum carentia, color albus: Sed si multa adsit frigiditas, albedo ad liuiditatem tendit, & facit ad coitum impotentes. parum comedentes, & minime digerentes. Praeterea humidi cerebro strabismum saepissimè patiuntur, generantur enim oculi ex humido, & ex humido constant. Est enim strabismus aliquorum musculorum resolutio, quam ex humiditate proueuire Galenus libro De Simptomatum causis dixit. Et libro De dynamidiis dicit, quod phlegma facit corpore compositos, vigilantes, intra se cogitationes, & canos producentes. Sed cur in mulieribus dexter oculus strabus, ita in viris sinister, quaerenda est causa. Dexter oculus dextra veriusque pars calidior est sinistra, foeminae multo hominibus humidiores. Si viris strabismus acciderit, quia calidiores, in debiliori oculo patiuntur, idest sinistro, si foeminis, quia humidissimae etiam dextro potest accidere.

Andromacha, claris oculis, candida fuit & formosa, corpore

longa, moribus modesta, sapiens, pudica & blanda. Nepos.

Forma, modus, pietas, sensus pudor auctius ornant
Andromachen, erecta humeris, visuque serenam.

Vt ex Darete habetur.

A Luna enim corporis candor, vel à phlegmate, & magna alicuius corporatura & formositas, & eodem phlegmate nulla Veneris tentigo, ob id pudica, mitis, blanda, & sapiens.

De moribus quos dat Luna.

CAPVT XLVI.

HAli dicit humidam complexionem dare, ob id bonos mores, & amantes quietis. Maternus. Lunae significatio, forma, gaudium, gloriae affectatio, debilis in sensu, tenuis memoria, mendacia, dilatationes, assentationes, multa edacitas, sed exigua Veneris tentigo. Significat etiam leues, rerum aquaticarum praecipue negotiatores, negotiorum initia, & merita ex eis premia, facultatum diuersarum, bonorumque consecutores, legum ac bonarum artium diligentes, cultores, & omnium rerum excellentissimarum dignissimos exploratores: aquarum opera, terrae cultum, principum ac primatum negotia, in prima maxima iuuentute summam religionem, sed minime constantem, firmamque in ea perseuerantiam. Abdila. Luna facit hominem nullius vtilitatis, qui die, ac nocte ire desiderant huc, illuc, nec leuiter stabit alicubi. Erit instabilis, & non perseuerans, habet ex operibus legationes, opera, aquarum, & terrae cultum. Guelius dicit facere mulieres honestas. Maternus dicit facere homines inaequales vitae, qui pro temporum mutatione mutantur, vt eorum patrimonium assiduè augeatur, & rursus minuatur. Commorabitur in aquosis locis, multum cibum comedentes, ac pauco potu contenti: vxorum & filiorum amoribus non proni. Alii enim honestus, itineribus pronus, vitae variationis inaequalis, viuet extra patriam, induet vestes albas.

Quod

Quod eiusmodi mores non ex Luna, sed ex humido, frigidoque temperamento.

CAPVT XLVII.

QVi frigidi, parum sunt in coitu potentes, ob id casti, & religiosi, odioque habent vxores & filios. Poetae fingunt Dianam, quam dicunt Lunam, esse virginem, horrere luxuriam, et Deam esse pudicitiae. Finxerunt etiam viarum praesidem, quia viatores & legatos facit. Venatricem, cum venatores loco stare nesciant. Galenus phlegmaticis proprietatem esse facere homines castos, sine coitus desiderio, & tacitos. Et quia frigidi, cupiunt cibos, & quia humidi spernunt potum. Quia frigidi & humidi, sunt complexionis mulierum, et mulieres timidae & imbecilles. Mutabilis consilii, et propositi, et nunc stare, nunc ambulare desiderant, nunc bona augere, nunc minuere. Ex humiditate earum taciturnitas, et morum bonitas, vt imbecilles, timidique, nemini officere putantes. Diligunt loca aquosa, quia à suo simili quodcunque trahitur. Albis vestibus vtentur, ex natura phlegmatica id euenit, quae alba est, et alba videre desiderant, ob id sues ad alba libenter trahuntur, quia phlegmate redundant. Sic biliosi croceis vestibus, vt cerui, et tauri rubeis, quia sanguinei, sic melancholici atris, ex humore, quo afficiuntur, vt latius in Physiogn. Sunt phlegmatici, mente leues, et ingenii celeris, vt diximus.

Morbi Lunares qui.

CAPVT XLVIII.

IVlius Firmicus corpus macularum varietate signare dixit, lepra, vt malignis vlceribus, in corpus ipsum assidua contorsione deformet. Senili debilitat imbecillitate, impedimentis oculis officiet, vel vulnere dedeco-

rat. Dat epilepsium, & vultus contorsionem, & quae pertinent ad paralisim, praesertim quae fit in lingua, labiis, & oculis, & membrorum contorsiones.

Quod hi morbi non à Luna, sed ab humiditate & phlegmate redundant.

CAPVT XLIX.

G*Alenus in libro De locis affectis, & aliis locis. Oribasius in octauo, & Paulus Aegineta in tertio libro dicunt, quod origo vitii apoplexiae, & paralisis linguae, oculorum, & aliorum membrorum fit ex frigidiore pituita, quae principalissimos cerebri ventriculos repleat. Et Galenus libro Simptomatum causis ait, linguae paralisis ex frigiditate, & crassis, lentisque humoribus. Sic & mandibulae contorsio, ex eadem causa apopplexia, quasi totius corporis paralisis. Et libro De oculis. Paralisim oculorum ex humidissimis humoribus ad neruos defluentibus prouenire.*



IOAN. BAPTISTAE PORTAE NEAPOLIT.

COELESTIS PHYSIOGNOMONIAE *LIBER TERTIVS.*

PROOEMIVM.



DIXIMVS de ſimplicium planetarum formis: nunc de compoſitis. Rarò enim, vel nunquam euenit, vt ſolus planeta genituræ dominus ſit, ſed duo, vel tres, vel ſimul omnes de genitura diſponunt, & ſic forma nati de omnibns formis participabit, vnde non de vno ſolo, ſed de ſimul omnibus iudicium futurum, ſicut autem in imaginibus artifex pictor lineamenta membrorum ex varia miſturarum diuerſitate præſignant, & temperatis coloribus corporis formam imitatione ſimilitudinem facit. Sic & ſtellarum coniuncta radiatio ſocietatis conſenſu pariter temperata vim quandam viciſsim ex coniunctis ſibi poteſtatibus mutuãtur, & ſubſtãtiã ſibi ex diuerſo igniũ colore collatã ad hominũ mores & morbos, picturas inde æqualia ſocietates moderatione depingit. Hæc inquiũt Aſtrologi. ſed res ſe aliter habet, nam quæ ipſi ex planetis, nos ex humoribus dicimus: nam ſatis rarenter homo vnius humoris erit prædominium: nam interdum duo vel tres, vel ſimul quatuor omnes complicati, & eorum quoque genera, & formæ ex horum miſtione variabit, vnde etiam & mores, & morum prognoſtica. Sed à Saturno incipiamus.

De mixtione Saturni cum alijs planetis.

CAPVT PRIMVM.



X Messahala. Si Saturnus fuerit compar cum Ioue, etiam orientali, facit hominem habentem faciem verè albam, crinis color castaneolus, vel mellinus cum laudabili decentia, oculi eius subnigri, mediocris quantitatis, erit semicaluus, aliqui dentium non verè albi. Capilli semicrispi castaneae coloris, pili non porsus nigri, eruntque inter raros & crispos. Et si alter orientalis, alter occidentalis, erit aliquid infra hoc. Si vterque occidentalis, multum infra hoc: & natus habebit colorem pulchriorem, quàm sit mellinus: tenentes oculos in terram eundo, pedes recuruos & iungit eos cum vadit, oculos non magnos, iuncta supercilia, cutem non recentem, quasi siccam, labia grossa, venas apparentes, barbam non spissam, capillos asperos, multos. Hali verò. Si Saturnus fuerit in conuenientia cum Sole, & in bono statu, & similiter Iuppiter in bono statu, natum gignit religiosum, & qui ornat, & amat senes, & est mansuetus & quietus, boni consilii, ac bonae opinionis, auxiliator, à Regibus & nobilibus cognitus & honestus: quod in animo habet, hoc vult ostendere, dator, bonus elector, amator aliquorum, intelligens, patiens, & Philosophus. At si hi planetae fuerint in diuerso statu à iam dicto, producunt natum nescientem vti bono, vt qui caret perfectione sensus, & delectatur phantasmatibus, & diligit Ecclesiis commorari, futura praedicit, abhorret filios, amicum habere non potest, non associatur hominibus, nullus confidit in eo, nescius, perfidus in rationibus, gloriatur sine ratione, honorem non diligit, amat plorare, malae conceptionis & electionis, solitarius, patiens, laboriosus & taediosus. Maternus eiusmodi mores decernere dicit. Vita claros, nobilē, omnemq; felicitatē, erit anima nati iusta, senes

nes decrepitos libenter honorabit, eritque sani consilii, aliis libenter subseruiet, & iuuabit, largitor, magnanimus, patiens, quietus, intelligens, amicorum amator, & Philosophus. Leupoldus. Si Saturnus Ioui assimiletur, erit natus commendabilis, iustus, honorabit socios, & erit sani consilii, adiutor regis, donator, bonae memoriae, dilector amicorum, quietus, intelligens, patiens, Philosophus.

Si Saturnus cum Marte participabit, facit hominem non benè rectum, semigrossum, color erit subniger, participans quadam non decenti rubedine, habebit aliquando in facie aliquas indecentes maculas, pili eius semirari, capilli non multum nigri, immo erunt participantes quadam obscura rubedine. Hali. Si Saturnus compar fuerit cum Marte, & ambo in sua doryphoria, sicut diximus, procreant natum audacem, paruae conceptionis, impium, nebulonem in rebus & factis suis, litigatorem, & qui se exponit magnis periculis, & infortuniis, non considerat causam aut verba, quae dicit, seruat iram, ac inimicitias: non excusat se de re, quae accidit ei, facit homines laborare, vincere diligit, inobediens. exaltat se super reges, & principes, amat litigare & vincere, cogitationum profundarum, tenax in faciendo gratiam & seruitium, & in associando, insultor et deceptor, ponderosus, factor mali, hominibus malefaciens, debilitatus, firmus, non permutabilis, ponit se aduersus magna & fortia pericula, & ab illis cito reuertitur, festinās in rebus & factis suis, & generaliter prosper: Sed si ibi planetae fuerint in diuerso statu à iam enumerato, educunt natum depredatorem itinerum, malum, abiectum, mali status, sequentem malum lucrum & turpe, non amicitiam habet cum aliquo, deceptorem amicorum, infidelem, homicidam, rixosum, turpium fornicationum, necromanticum, raptorem mortuorum bonorum. In summa malus est, malique status. Maternus. Facit moribus tristes, laboriosos, sordidos, humiles & gloriosos, & qui assidue lugubri tristitia sordidentur. Messahala. Facit ho-

minem

minem rubeum, capillos rubeos, faciem rotundam leuiter eam dehonestantem, habentem oculos croceos, horribilem aspectu, audacem, habentem in pede signum, vel maculam. Dorotheus. Hominem dat aspectu acutum, participem audaciae, perseuerantem in superbia, negotiorum vanitas festinando. Abdila. Curuum habet corpus, & nasum, facit hominem scismaticum, idest discordiae seminantem, in cuius facie color rubeus, mixtus cum nigro, sed horribilis: habet aliquando in facie grana rubea, & raros pilos in barba.

Saturnus cum Sole iunctus facit hominem habentem staturam declinantem potius ad latus maioritatis, quàm ad latus minoritatis, cuius color erit quasi aemulus, ita quod videbitur quasi participare posse cum omni alio colore, potius tamen cum subnigro, eritque decentioris staturae, quàm cum aliquo aliorum planetarum, eritque semicarnosus, habens oculos semigrossos, barbamque semiplenam, capillor castaneolos, siue mellinos, inter semicrispos et extensos, et addit Sol aliquid de pinguedine corporis nati, atque pulchritudine et in ipsis forma prae coeteris planetis. et si Sol fuerit orientalis, addit aliquid de magnitudine corporis, et si fuerit in combustione, detrahit pulchritudini, atque formae corporum: et dat grauia impedimenta atque miserias. Leupoldus. Si Ioui assimiletur Saturnus, erit commendabilis natus, iustus, honorabit socios, et erit sani consilii, adiutor regis, donator, bonae memoriae. dilector amicorum, quietus, intelligens, patiens, philosophus. et si contra, dic contra.

Saturnus cum Venere, facit vt nati color quasi subniger sit, siue mellinus, siue oliuinus, decens tamen, erunt capilli nec vere glauci, nec castaneoli, facies eius quasi rotunda, maxillae mediocres, oculi sui laudabuntur pulchritudine, à maiori parte videntium eos, nigredo ipsorum maior, quam si Saturnus fuerit significator solus, competentes habens capillos, eritque semicarnosus vt plurimum. Maternus. Quia Venus fortuna est, reddit vita

claros,

claros, nobiles, omnemque foelicitatem decernit. Hali. Porrò si Saturnus habuerit conuenientiam cum Venere, & ambo in sua doryphoria, producit natum amatorem secretorum legis, & rerum occultarum cupidum, diuinatorem, & qui diligit venerari res diuinas, qui sic nascitur verecundus, multum mansuetus, ama or ornamenti, fidelis, rationis expositor, suae voluntatis suppressor, bonarum cogitationum, ac magnus mulierum Zelotypus. At si hi planetae fuerint in diuerso statu à iam dicto, gignunt natum pertinacem, ac suae voluntatis, fornicatorem, cognitus non erit, fornicationes cum consanguineis cõmittet per deceptionem, abhorret res & bona facta, solitarius, malae loquelae, & ratiocinationis, immiscet se rebus celatis & absconditis, errabit praeter naturam, & magis cum senibus, quam pueris more beluarum, leges vilipendit, illudet & deridet bonorum acta. Leupoldus.

Si Saturnus assimiletur Veneri, & ipse est boni esse, natus abhorrebit formosas mulieres, inuidus, malae societatis, & suo ipsius consilio confidet. Si Venus erit contra, natus erit inuidus, fornicator omnibus modis, venereus, maledicus, superbus, vilipendit iustos, & erit necromanticus.

Si Saturnus cum Mercurio cohabitauerit, natus erit subnigri coloris, habens frontem semilentam, faciem semilongam, nasumq; similiter, oculos semidecentes, declinantes potius ad nigredinem, quàm ad alium colorem, barbam nigram & raram, digitos semilongcs, eritque conuenientis staturae. Maternus dicit facere maleficos, veneficos, periuros, suorumque patrum atq; parentum inimicos. Hali. Si Saturnus habuerit conuenientiam cum Mercurio, & ambo fuerint in sublimitate, iam saepe dicta, facit natum rerum inquisitorem, & quaesitorem legum, & chronicorum, amatorem physicae, custodem secretorum, cogitat etiam de rebus absconditis, & occultis, cupidum faciendi mirabilia, facit enim credere hominibus mirabilia, et hoc solo die credit, hilarem, boni cogitatus, subtilem in diuidendo suo intellectu vnã rem ab alia, ac

M firem

si rem vnam per aliam deducat, acuti spiritus, expertus inquisitor in suis petitionibus, amator intellectus & sensus, & generaliter foelix in omnibus factis suis. At si hi planetae fuerint in diuerso statu à iam dicto, faciunt natum iracundum, tenacem irae, turbidi spiritus oppressum, abhorribilem consanguineis suis, labores diligentem, dolos cogitantem de nocte, deceptorem in factis et dictis, non gaudentem societate hominum, latronem, necromantium, immiscentem se fraudibus, infidelem, & generaliter infoelicem. Leupoldus. Si Saturnus assimiletur Mercurio, & ipse sic boni esse, natus legum & rerum inquisitor, amabit medicinam, mira faciet, sophista, erit acuti ingenii, si Mercurius erit contrariae dispositionis, erit tepidus, laboriosus, nocte turbabitur.

Si Saturnus cum Luna participauerit, natus habebit colorem album, sed eius albedo non erit clara, neque vera, quemadmodum nebula infecta, cum aliquali admixtione rubedinis, eritque habens pulchra supercilia, oculos nigros, faciem rotundam, pulchram staturam satis decentem, eritque aptae coadunationis suorum membrorum, & id significabunt si erunt bene dispositi. Sed si male dispositi, erit contrarium, & natus erit difformis, ineptus, foetidus horribilis, & vilis apparitionis, & inordinatae suorum membrorum compositionis, atque coadunationis, & quanto magis difformis. Dixerunt Sapientes, quod Luna adiuuat de temperie, & gracilitate. Maternus. Saturnus si in domo Lunae, & fuerit lumine diminuta, tunc ei caput capillorum raritate nudabitur, vt facit Iuppiter capillis defluentibus caluos, & quorum lumina repentinis coecitatibus impediuntur, aut assidua suffusione aciem deperdant, facit pleuriticos, hydropicos, podagricos, & caducos. Hali. Saturnus cum Luna, vel Mercurio, & in bono dominatu, producit natum morigeratum, ac boni consilii, et profundi intellectus, & qui à se ipsa habebit consilium in rebus suis, et erit diues, clarus regibus et claris hominibus, dominus thesaurorum, compositus, non risor, nec tristis, nec inuidus. At si Saturnus

alio modo fuerit affectus, facit natum turpem, infirmum, paruae existimationis, vt qui nec ipse sese existimet, nec cognitus est, consulit sibi per se ipsum, & est inuidus, solitarius deceptor, ire diligit ad loca tristia & laboriosa, sine verecundia, semper diligit miserias, parat proditionem, & fraudem sociis suis, laetitia & hilaritas nunquam inuenitur in eo, abhorret amicos & aequales & socios. Leupoldus eadem. Saturnus dispositor cum Luna vel Mercurio, & in angulis, natus iustos amabit, rigidus, erit profundi consilii, & in hoc fixus, laboriosus, disputator, sed quandoque à veritate declinabit, locuples, appetit nigrum, versipellis, thesaurizator, inuidus occultus, & si contrariae dispositionis, dic contrarium.

Quod ex humorum mixtione eiusmodi mores & formæ proueniant.

CAPVT II.

S*Ed nos, vt à principio diximus, formae & mores non à syderibus, sed ex ipso proueniunt temperamento: nam sicut mixtura Saturni, & Iouis formam & alios mores ostendit, cum pernitiosis verò pernitiosam temperiem, sic humorum diuersorum mixtio aliam formam, & alios mores producit, vel praeclaros, vel pernitiosos ex vtroq; compositos. Diximus enim ex frigido & humido faciem & capillos prouenire mellini coloris, mediocris crassitiei, & oculorum, & ex calido, & humido album cum coloris commendatione, nigrorum oculorum magnorumque, recaluum, ac forma venerabili, ita ex vtriusque mixtura faciei erit color albus, capillorum castaneolus cum laudabili decentia, oculos subnigros, mediocris quantitatis, statura decens, & plusquam mediocris quantitatis, semicaluus: nam frigiditas, & siccitas capillos retinet, caliditas & humiditas relaxant, & caluos efficiunt, ex vtraque mixtione semicaluus. Capillos crispat siccitas, humiditas extendit, ex vtraque mixtura, capilli*

fiunt semicrispi inter extensos, & crispos. Vitium si aliqualiter mitigatur cum bono, optimum erit: si Iouis temperamentum à Saturno fuerit, totum, regium temperamentum. Sanguis qui pauculum admixtum habet melancholiae, quantum ad temperandum sufficit superfluum sanguinis ardorem, & motum, haec humorum mixtura vultum dat venerabilem, ac maiestate plenum, dat sanam vitam & longam, pronum facit animum ad iustitiam, clementiam & magnanimitatem, possidebitque ipse magneticam quãdam virtutem, quae homines ad sibi seruiendum, & obtemperandum inuitat, ob id in bono vtriusque statu producit iustos, honorantes senes, diligentes amicos, nobilem & gloriosum.

Quae isti etiam dicunt de Saturno & Marte, nos ex frigido & sicco, & calido & sicco dicimus prouenire. Quia frigiditas & siccitas mediocrem dabant crassitiem, calidum & siccum idoneam carnositatem, ex hac miscella natus erit semicrassus. Ex frigiditate, & siccitate, & caliditate, & siccitate corpus erat curuum, ex vtraque curuum quoque erit. Frigidus dabat colorem carnis mellini coloris, & nigredinem capillorum, caliditas ruborem, ex vtraque erunt capilli obscurae rubedinis. Intensa caliditas dabat maculas indecentes, & dehonestantes vultum, ideo & indecentes retinebit maculas in ore. Caliditas & siccitas pilos dabat in barba raros, Saturnus mediocres, ab vtroque pili erunt semirari. Mores ex melancholia erant tristes, seruiles, & sordidi, à caliditate laboriosi, gloriosi & imperiosi.

Idem cum Sole copulatus, eius caliditas & siccitas mitigatur à frigiditate Saturni. Quia à Sole corpulentia, à Saturno mediocritas crassitiei, ideo ex vtroque oritur mediocris statura, declinans potius ad latus maioritatis, quàm minoritatis. Frigidum & siccum dabat oculos mediocres, calidum et siccum magnos, ex vtroq; commixtio dat oculos semimagnos. Et quia frigidum et siccum turpem dabat formam, calidum et parum sicci formosam, vtriusque mixtura dat pinguedinem, et pulchritudinem prae caeteris

planesit.

planetis. Frigidum et siccum nigros pilos, calidum et siccum flauos, vtrorumque mixtio dat pilos mellinos, siue castaneolos. Facies frigidi et sicci melli coloris, tendens ad nigredinem, calidi, et sicci, et parum humidi dat albi, ex vtroque color aemulus, scilicet mellinum clarum. Sic mores ex frigido et humido, et calido et sicco compositi, vel ex melancholia et sanguine facit claros, nobiles ex vtroque participantes.

Saturnus cum copulatur cum Venere, idest frigiditas, et siccitas cum caliditate et humiditate, praedictam dabunt formam. Frigidum dat faciem mellini coloris, sed calidum et humidum album roseum fuscum: ex quorum miscella color mellinus siue oliuinus, sed pulcher et venustus. Oculi calidae et humidae qualitatis erant subnigri coloris: nunc quia maior quàm cum sola frigiditas erat significatrix. Sed à calido, et humido laudabantur pulchritudine à maiori parte eum videntium. Frigidum et siccum dabat capillos nigros, calidum et humidum flauos, ex miscella, nec glaucos, nec castaneolos: calidum et humidum faciem dant rotundam, à frigidi, et sicci miscella mitigatur, et facies oritur quasi rotunda. Frigidum et siccum dabant capillos planos, calidum et humidum crispos, miscella dat temperatos capillos. Et quia Venus fortuna mitigat malignitatem Saturni, reddit homines in vita claros, nobiles, decernitque omnem foelicitatem.

Si cum Mercurio Saturnus iungitur, idest frigidum et siccum cum calido et sicco, vel frigido et sicco admisceatur, vel melancholia cum bile, mixta ex vtroque dabitur forma. Frigidum et siccum mellinum, seu nigrum colorem, Mercurius dat pallidum, ex vtroque compositus color erit subniger. Vterque dat corpus semicarnosum, moderatum, ideo in miscella erit decens, et mediocre corpus. Et quia Mercurius dat faciem longam, et nasum longum, et digitos longos. Saturnus detrahit aliquid sua siccitate, et frigiditate, ideo oritur facies semilonga, et digiti, et nasus. Et quia humor melancholicus pessimus et biliosus, ob id pronos facit

ad pessimos mores, venefici, malefici, pessimi, et suorum parentum inimici.

Si Saturnus cum Luna commiscetur, scilicet frigidum et humidum cum humiditate, dabunt faciem albam, sed non verae albedinis et claritatis, sed subalbidae et pallidae. Faciem rotundam ex humiditate, à Saturno longitudinem, ex siccitate non ita rotundam. A Luna prouenit breuitas, et grossities personae, ex vtroque miscella erit statura decens, et pulchra, si scilicet bene fortunati et dispositi ambo fuerint, idest si humores defaecati et puri. At si contrarium euenit, vt sint turbidi, et faetulenti, et infecti, contrariae erunt formae et morum, nam deformis, faeda, vilis, horribilis, maleque suorum membrorum coaptata modulatio, et quanto foetulentiores, tanto peiores. Hoc temperamentum omnium pessimum, et quod minus in Principe desideratur, quod est phlegmaticum et melancholicum: nam eiusmodi temperamenti homines, potius seruiles, quàm imperiosi nascuntur, scientiarum incapaces, est enim stupiditas prudentiae aduersaria; est enim segnities occasionum pessima comes, quae in momento temporis consistit, longe ab hoc temperamento abest magnanimitas, animi vigor, generositas, ira, offensarum vindicta, sed horum vice timor, suspicio, et irresolutio. Infirmitates ex pituita et humore frigido, siccoque lumina repentinis caecitatibus impediri solent, et assiduas suffusiones pati, podagras, pleuritides, et caducum morbum.

De participatione Iouis cum alijs planetis.

CAPVT III.

QVod si verò Iuppiter particeps erit cum Marte, erit in colore aliquantulum rubedo admixta, habebitque oculos aliquantulum grossiores, quàm cum Iuppiter fuerit solus significator. Quod si fuerit Mars orientalis, habebit in pede dextro signum, si verò occidentalis, aliud in

sinistro

finistro, & hoc raro fallit. Hali. Sed si Iuppiter habuerit conuenientiam cum Marte, & ambo fuerint in bono statu, sicut diximus, generat natum audacem, & exponentem se periculis, sapientem in litibus, bonarum cogitationum, & motuum in litibus et praeliis, nulli humiliantem, nec habentem dominum militiarum, nec dominii. Facit sub hoc planeta natus magna facta, ac nominata, vincere diligit, dominatorem se constituit, verificat se in rebus & factis secure, quia non timet destructorem, & victorem, magnae superbiae, amatorem honoris, cognitorem irarum, praecipitat & prohibet, Sed si hi planctae fuerint in statu diuerso, & non iam dicto faciunt natum dehoneſtatorem, & insolentem, & non parcentem, sine verecundia, manifestatorem secretorum, defendentem se, & inobedientem, magnifacientem se iniustè, latronem, cito conuertentem, leuem in rebus & factis suis, poenitentem, instabilem in omni re, loquacem multum, in vanitatibus multis versantem, non cognitorem, nec aliquid gratum habentem, pauci sensus, in factis fastuosum, accusatorem, dissipatorem, & generaliter permutabilem in omnibus rebus & factis suis. Leupoldus. Si Iuppiter Marti assimiletur, & fuerit boni status, erit natus versutus, supplantator, bellicosus, nulli humiliabitur, & se ipsum dominum faciet, erit inuentor rerum, & sciet veritatem, magnanimus, iracundus. Si mali status, erit è contra, blasphemator, impudens nullius, celator, hipocrita, superbus, leuiter alleuiabitur, & derisor erit.

Quod si verò Iuppiter particeps fuerit cum Sole, significat quod detrahit aliquid albedinis eius, erit tamen decentior, quàm cum Iuppiter fuerit solus significator, eritque statura ipsius aliquid minus mediocris, conueniens tamen, atque decens, capilli eius habebunt aliquid crispitudinis, eiusque oculi aliquid croceitatis. Maternus. Integra foelicitatis ornamenta decernere dixit. Alii. Si Iuppiter fuerit particeps cum Sole, significat hominem habentem colorem mellinum siue oliuineum, siue castaneolum, quod quasi idem

est

est cum aliquali albedine admixtum decentem, statum satis conuenientem, capillos quodammodo in crispitudinem vergentes.

Quod si cum Venere, natus habebit colorem declinantem ad nigredinem, verumtamen potius quàm ad alium colorem declinant, capillos pulchros, quasi mellinos, non tamen erunt determinati coloris, erit enim eorum color aemulus, pulchram dabit staturam, faciem semirotundam, maxillas non magnas, sed decentes, pulchros oculos, propter hoc, quod eorum nigredo erit aliquid maior debito, nec tamen erit indecens, faciem decentem atque pulchram, & erit semicaluus. Hali. Praeterea si Iuppiter habuerit conuenientiam cum Venere, & fuerit in bono statu sicut praediximus, generat natum splendidum & vitiosum, & qui amat lympiditatem, et pulchritudinem, ac magisteria, & considerat res ex cupiditate addiscendi, amat ludos et iocos, contentus est rebus bene factis, & bonis moribus, factorem boni et puri, bonae voluntatis, et integrae, amat Deum, bonae legis, bonae fidei, amat defendere legem, et sensatum, diligit homines mansuetos, et gratum habet quod fit ei, amat inspicere libros, et versari in eis, et rem habet cum mulieribus secundum honestatem, et communem vsum, et bono modo, diligit consanguineos, et amat ius, et iustitiam, ornamentum et intellectum, et generaliter bonus erit et iustus. Sed si hi planetae fuerint in diuerso statu ab eo modo dicto, faciunt natum diligere quietem, et honorem, vitam vitiosam, effoeminati spiritus, ira inflammatur subito, et ira eius sicut ira mulieris, et pensatorem multum, et captum amore mulierum, et multum solitum iacere cum eis absque coniugio, amatorem meretricum, dolentem, et conquerentem de paruo malo, et cito sensus eius mouetur, sicut sensus mulieris, immiscet se rebus ecclesiarum, vult se proponi in rebus et factis, in quibus tractandis erit fidelis, non erit in eo vlla mala voluntas, cupiditatem habet associandi se, et adiungit se hominibus bonorum morum, iudicare vult in rebus debentibus fieri ab homine secreto, et non detectore. Leupoldus. Si Veneri Iuppiter

similis

similis est boni esse: natus est simplex, et amabit veritatem, iocos, et comestiones, & erit bonae qualitatis animae, Deum amabit, & illi seruiet. Si est contra, dic contra.

Si Iuppiter cum Mercurio erit particeps, natus habebit colorem purum discrepantem à primo, frontem semieleuatam, faciem semilongam, nasum similiter & oculos decentes, non ex toto nigros, barbam nigram & raram, digitos semilongos, corpus semigracile, staturam mediocrem, labia subtilia.

Si cum Mercurio fuerit particeps Iuppiter, & erit orientalis, significat hominem habentem colorem declinantem ad quandam decentem nigredinem, capillos aemulos, faciem semirotundam, maxillas mediocres atque conuenientes, pulchros oculos, in quibus nigredo praeualebit, faciem conuenientem, atque pulchram, decentem staturam, semicarnosum. Mores ex supradictis possunt praesagire, vt monet Maternus. Sed Hali explicat. Porrò si quando Iuppiter habebit conuenientiam cum Mercurio, & fuerit in bono statu, sicut praediximus, facient natum multum in libris versantem, qui amat Dialecticam, Geometriam, & totum Quadriuium, est enim versificator, & legis praedicator, & scientiarum intelligibilis, mansuetus, boni consilii pro se, & pro aliis, bonorum morum, bona sequitur itinera, benefactor est, per sensum dirigit se, & per bonam cogitationem praesentium, amator est gentis, & ab ea diligitur, subtilis intellectus, fortunatus in factis suis, morigeratus, bonae legis, Physicus Regis erit, vel nuncius, consanguineos amat, & bonorum est exemplorum, amat omnem scientiam & philosophiam, intelligibilis, & laudatus. At si hi planetae fuerint in statu à iam dicto diuerso, faciunt natum acutum ex ignorantia multorum errorum, abiectum, & accidit ei sensus amissio, quia adhaerere vult rebus diuinis, & se seruare cum illis, loquax multum, praedicator fabularum, & vanitatum, credit se esse sapientem, cum sit pauci sensus, exaltat se iniuste, scit malos mores, rumorem facit, permutabilis in moribus, & factis suis, se-

ctator nouorum, & forsitan doctor puerorum, nec scit voluntatem suam celare.

At si Iuppiter cum Luna coniunctus erit, natus non erit verè albus, cum quadam non vera rubedine, supercilia decentia, oculos non verè nigros, sed aliquando alterum altero maiorem, vel vitiosum, faciem rotundam, staturam mediocrem. Maternus. Exercebit scientiam de aquis & aqueductibus, largus, venerandus, et iustus.

Quod ex copulatis qualitatibus formæ & mores eueniunt, non ex influxibus.

CAPVT IIII.

FOrmam et mores, quos Astrologi, ex copulatione duorum planetarum proficisci dicunt, nos dicemus ex copulatis qualitatibus, scilicet ex humiditate et caliditate cum aliis qualitatibus profieiscit. Et primo qualitas resultans ex calido et humido cum calido et sicco, scilicet ex Ioue cum Marte copulato, scilicet ex sanguine cum flauae bilis admistione. Quia sanguis dabat album roseum colorem, bilis rubeum, ex vtriusque miscella fit color carnis albus cum quadam rubedine biliosa. Iuppiter, siue sanguis dat oculos magnos, vt diximus ex Dorotheo, et Mars, siue bilis facit oculos grossos, ex Messahala, ex duorum horum mixtione prouenit oculus maior, quàm si esset solus dispositor Iuppiter.

oculos grossos

Quando Iuppiter calidus et humidus cum Sole calido et sicco coniunctus, natus ex hac mixtione optimorum erit morum et formae. Erit color nati albus, sed non tam albus quando solus erat Iuppiter significator, sed cum quodam rubore, et croceitate, ob id pulchrior, decentiorque. Iupppiter dat mediocrem staturam, et Sol, siue caliditas, et siccitas decentiam magnitudinis, ergo statura nati aliquid erit minus mediocris. Sed quia vtraeque qualitates primae sunt, erit semper forma decens, venusta, pulchriorq;

Bilis dat croceos oculos, sanguis caropos, ergo ex vtroque colore erit oculus, mitigata croceitate, aliquantulum croceus. Calidum & siccum capillos crispos facit, siccitas & humiditas planos, ex vtraque miscella, capilli erunt aliquid habentes crispitudinis. Ex vtroque primo temperamento non nisi optimi mores, ob id Maternus integra foelicitatis ornamenta decernere dixit.

Forma Iouis & Veneris non erit alia, quam calida, & humida, quia vnusquisque eandem praebet, & vterque formam venustissimam. Diximus ex Messahala, carnem habere albam trahentem ad aliquam nigredinem, sed id non ad deformitatem, sed vt quid gratiae, & leporis daret albedini: nam Iuppiter albos faciebat, ex vtriusque enim qualitate mellinus color: nam Venus pulchros facit capillos, faciem semirotundam, & maxillas non magnas. A Venere, vt diximus ex Messahala, oculos nigros aliquanto debito maior, sed non indecens, sed pulcherrimos. Dat Venus semicaluitiem, quae est nota caliditatis, & humiditatis, & luxuriae, & Venus pulchram staturam, à Ioue etiam apta, & moderata.

Forma verò Iouis & Mercurii, scilicet calidi, & humidi, & calidi, & sicci, habebit frontem semieleuatam: nam à Mercurio frons eleuata, à Ioue pulchra, composita ergo erit semieleuata. A Mercurio nasus longus, facies & digiti, & corpus gracile, sed à Mercurio pulchritudinem, & leporem, ergo facies semilonga, semilongi digiti, nasus semilongus, & corpus semigracile. Mercurius dat oculos paruos, cauos, coloris caprini, vel crocei, ab vtroque pulchri, non ex toto nigri, vel crocei, sed ab vtroque decentes. Dat Mercurius barbam raram & nigram. A Ioue statura apta & decens, à Mercurio modica & gracilis, ex hac miscella temperata erit statura. Mercurius dabat labia subtilia, ex vtroque composita. Mores, vt Maternus, ex vtroque compositi.

A Mercurio & Luna idest calidum & humidum cum frigi-

do & humido, frigiditas retundit caliditatem, vnde humidum remanet incolume. Color Lunae albus cum quodam pallore, Mercurii albus cum quadam conuenientia, ex vtroque natus erit non verè albus, sed cum quadam non vera rubedine. Supercilia decentia à Luna, sed Iuppiter nil detrahit, erunt ergo optimae formae. Oculos dat vnum altero maiorem, vel vitiosum. Quod est peculiare Lunae, idest cerebri frigidi, & humidi. Faciem rotundam à Luna: mediocrem staturam dat vterque. Magisteria de aquaeductibus ex Luna, verecundia, iustitia, & bonitas à Ioue.

De participatione Martis cum alijs planetis.

CAPVT V.

SI Mars cum Sole particeps fuerit, faciet hominem habentem colorem non verè album, nec verè rubeum, nec verè brunum, quasi quodammodo non verè rubeo colore tinctum, semicaluum, atque semigrossum. Staturam declinantem ad pulchritudinem, atque decentiam, capillos declinantes ad glaucedinem potius, quàm ad alium colorem, oculos non verè nigros. Maternus. Si Mars sub radiis Solis fuerit, incendii, & publicae adustionis decernit exitia, & in occasu positus, violentae mortis discrimen indicat. Alii. Mars particeps cum Sole facit hominem habentem nigredinem, sed in rubedine vergentem, parum destantem ab aemulo colore, staturam vix mediocrem, ipsamque decentem, semigrossos capillos, quasi glaucos, oculos semigrossos.

Si Mars cum Venere iunctus fuerit, facit hominem semirubeum, cum quadam decentia albedinis, staturam mediocrem atq; decentem, faciem semirotundam, maxillas mediocres, oculos decentes, erit nigredo eorum maior, quàm opporteat, non tamen indecens, non benè carnosus, vt possit dici semicrassus, facies ipsius erit alacbris, Mars cum Veneris participatione malitiae suae omnem

depo-

deponit ardorem, ex Materno. Hali. Si Martis planeta conuenientiam habuerit cum Venere, & fuerunt in bono statu, procreant natum conuenientem cum hominibus, mobilem, bonae credulitatis, deceptorem amicorum suorum, hic enim vitam diligit vitiosam, quietem amat simplicem, pulchrae formae, amat psallere, & saltare, amore corripitur, conuiuator est, iacet cum mulieribus contra legem, & in quo est peccatum, nihilominus foelix est, & sibi cauet in suis negotiis, sensatus, illusor, & deceptor, magnae cogitationis, abstinet se à pueris & puellis, expensator, cito irascitur, & magnus est Zelotypus. At si quando hi planetae fuerint in statu diuerso à modo dicto, faciunt natum appetere multum, iacere cum mulieribus sine aliquo respectu & verecundia, quoniam permutabilis in factis suis, vilipendit omnes homines, meretricator est, dehonestator, mendax, deceptor amicorum, sicut aliorum, facilis ad complendum voluntates suas, dehonestat, & corrumpit mulieres bonas, & virgines, sapiens in fraudibus, & proditionibus, periurus in suis sacramentis, insultor & deceptor, damnati sensus, forsitan dirigit puritates, mobilis in suis factis, & fornicationes turpes exercet.

Si verò Mars cum Mercurio particeps, significat hominem habentẽ corpus semigracile, staturã mediocrẽ, colorẽ declinantẽ potius ad colorem Martis, quàm ad aliud, nisi coniunctio aliorum planetarum cooperetur, barbam pulchram licet raram, atque paruam, labia subtilia similiter & nasum. Hali. Rursus si Mars habuerit conuenientiam cum Mercurio & fuerit in bono statu, vt diximus, faciunt natum dominum militum, intelligibilem, boni sensus, custodem eius, quod habet, leui sensus & mobilẽ in suis factis, sollicitum, benè institutum, cito loquentem, sapientem in malis moribus, deceptorem facilem, non firmat se ad intelligendum, malae credulitatis, & malorum factorum, amatorem rixarum, magni se estimat, & nihilominus foelix est, et boni amoris, ac conceptionis versus amicos suos, et communiter malefactor erit

ini-

inimicis suis, et benefactor amicis. At si planetae fuerint in diuerso statu à iam dicto, progignit natum dissipatorem, et deceptorem in dando et accipiendo, et poenitentem eius, quod fecit, mobilem in omnibus suis rebus, mendacem, furem, Deum non cognoscentem, periurum in iureiurando, rixas diligentem et clamores, notum improbum, dehonestatorem, itinerum depredatorem, et clam committit homicidia, et maximè proditoriè.

Si Mars particeps cum Luna fuerit, erit homo habens pulchrũ colorem, atque album cum quadam admixtione semirubedinis, oculos semigrossos, pulchra supercilia, faciem quasi rotundam, staturam decentem.

oculus semigrossior

Dares Aeneam Rufum describit fuisse mediocris staturae, oculis hilaribus et pulchris, facũdum, affabilem, fortẽ in consilio, piũ, venustum, ac suae patriae proditorem, Astrologi staturae mediocris faciunt natum ex Mercurio & Marte, colore declinantem ad Martis colorem, rufum, vel igneum, dominum militum, poenitentem eius, quod fecit.

Erat Achillis forma, ex Darete, pectorosus, ore venusto, membris valentibus, magna vi brachiorum, bene crispum, clementem, cum armis acerrimum, vultu hilari, largum, dapsilem, capillo mirteo. Nepos verò.

Audax, magnificus, hilaris, plus æquat Achilles
Vultus Phœbum, animo Grandiuum, Pelea membris,
In pectus laterum luxatur culmen, in arctos
Crispatur cirros, coma mirtea, crinis in armos
Deprimitur, poplesque gradus consurgit in altos.

Composita est igitur eius figura ex Sole & Marte, ex Sole venusta, & personae magnitudo, capillo flauo cum quodam croceo, ac coma crispa. Ex Marte spissa et reliqua membra. Periit tandem morte violenta, & fuit maxime iracundus.

Quod

Quod ex miscella qualitatum calidi & sicci cum reliquis, proueniunt formæ & hominum mores, non è syderibus.

CAPVT VI.

SI Mars cum Sole particeps fuerit, idest si qualitas calida, & sicca cum calida, & aliquantulum sicca. Quia Mars colorem dabat rubrum tendentem ad nigrum, Sol verò croceum tendantem etiam ad nigrum, ex hac miscella erit color nec croceus, nec ruber, sed quodammodo non vere rubeo colore coloratus. Sol capillos non verè rubeos, Mars autem rubeos, ex miscella capilli erunt declinantes ad glaucedinem potius, quàm ad alium colorem. Mars dat raros pilos in barba, sicut spado, Sol plenam barbam, ex hac miscella natus erit semibarbatus. Mars dabat corpus idoneae carnositatis, Sol pinguiusculum cum breui statura, cum pulchritudine: ex miscella corpus semipingue, statura decenti cum pulchritudine. Mores & magisteria ex duobus calidissimis. Quia Sol omnia publicat, & omnia occulta obscura sua claritate reuelat, potest significare vbicunque praestiterit, res publicas, mortes publicas, magistatus, & honores publicos, claros, & propatulos.

At Mars cum Venere coniunctus, scilicet calidum & siccum cum calido & humido, faciunt optimum temperamentum. A Marte prouenit faciei color ruffus, à Venere subruber, niger & pulcher, ex quarum miscella fit homo semiruber cum quadam albedinis decentia. Mars dat staturam idoneè carnosam. Venus longam & pulchram, ex miscella prouenit composita statura & pulchra. Mars dat spissos capillos, & mediocres, Venus dat spissos, & molliter flexos cum quadam pulchritudinis venustate, ex miscella proueniunt capilli mediocriter crispi, multi & decentes. Mars dat faciem rotundam, & maculam leuiter eam dehonestantem.

tem. Sed Venus faciem etiam rotundam, non tamen magnam, neque maxilla, ex hac miſcella facies ſemirotunda, cum maxillis mediocribus. Venus dat oculos garZos fulgentes fulgore venuſtatis, quorum nigredo tendit ad album, maior quàm in aliis reperiatur, tamen decens. Mars dat carnoſitatem idoneam. Venus craſsitiem, ex miſcella non bene carnoſus, vt dici poſsit ſemicraſſus. Ex Venere facies alachris, ex Marte horribilis, nullus enim planeta corrigere poteſt Martis opera, niſi Venus. Sic omne bonũ ſignificabit in eius vita, & Mars ſuae irae multum deponit ardorem cum Veneris participatione.

Si Mars Mercurio haeſerit, ſcilicet calidum & ſiccum vehemens cum remiſſo. Mercurius dat corpus gracile, & mediocris ſtaturae, Mars idoneae carnoſitatis, ex vtroque miſcella corpus erit ſemigracile. Mars dat rubeum colorem. Mercurius dat croceum, ex vtroque commixtio color erit ruber, quia croceus color intra rubros colores continetnr. Mercurius dat raram, nigramque barbam, Mars raros pilos in barba, vt ſpado, vtriuſq; mixtura dat raram, paruamque barbam. Mercurius dat labia ſubtilia, & naſum, Mars non deformat naſum, neq; labia, ergo erunt labia, & naſus ſubtilis.

At ſi Mars cum Luna participabit, ſcilicet calidum & ſiccum cum humido & frigido. Mars dabat colorem ruffum declinantem ad nigredinem, Luna album coniunctum cum roſeo, ex vtroque fit color pulcher albus cum quadã admixtione rubedinis. Luna dat oculos non ex toto nigros, Mars magnos, ex vtriuſque mixtura erunt oculi ſemimagni. Mars non deformat ſupercilia, Luna honeſtat, ex vtroque mixtura pulchra ſupercilia. Mars dat rotundam faciem, eandem dat Luna, ex vtroque igitur non remouetur faciei rotunditas Luna dat ſtaturam pulchram, Mars non deformat eam, ex vtroque fit recens ſtatura.

De

De forma & moribus, quos Astrologi Solem dare dicunt, cum inferiorum planetarum participatione.

CAPVT VII.

SI cum Venere Sol particeps fuerit, facit hominem habentem staturam mediocrem, atque pulchram, colorem commixtum ex albedine cum rubedine semiclara, & decenti, capillos multos, atque conuenientes. Videbitur in anteriori parte velle participare quadam caluitie, non tamen erit valde caluus, faciem quasi rotundam, & laetam, maxillas non magnas; pulchros oculos, carnositas talis, quod dici poterit quasi pinguis.

Si vero Sol cum Mercurio participauerit, homo habebit colorem mellinum, participabitque color eius cum colore, qui significabitur per planetam aspicientem eum, vel qui fuerit corporaliter cum eo iunctus, pulchram habentem barbam, non tamen magnam, nec minus spissam, oculos semigrossos & decentes. Hali. Si Sol conuenientiam habuerit cum Mercurio, fueritque in bono statu, facit spiritum propensiorem ad iustitiam, at si exitiali radiorum iactu percussus fuerit in diuerso statu, tunc erit firmior cum illa significatione, & magis cupiet suam voluntatem complere, & communiter durus erit, & fortis ad dirigendum, & melius efficiendum. Alii. Si Sol participauerit cum Mercurio, & ipse orientalis: significat hominem habentem colorem velut mellinũ, barbam mediocrem, atq; pulchram, licet raram, oculos decentes atq; semigrossos.

Si verò Sol cum Luna participauerit, natus habebit pulchrum colorem, atque decentem cum quadam albedine semiclara, & cum aliquid rubedinis admixtum, pulchros oculos, pulchra supercilia, & faciem rotundam. Alii. Faciet hominem habentem pulchrum colorem, pulchra supercilia, oculos semigrossos, nigredinem quandam vergentem, staturam conuenientem, faciem semirotundam.

Formas & mores, quos Astrologi ex Sole & planetis donant non ex eis, sed ex qualitatum participatione prouenire.

CAPVT VIII.

QVando Sol cum Venere particeps fuerit, ſcilicet calidum & ſiccum cum calido & humido optimo temperamento. Quia Sol dat ſtaturam breuem & pulchram, Venus longam, miſcella dabit decentem, & pulchram. Sol dabat colorem croceum, quaſi nigrum clarum & pulchrum, Venus candidum trahentem ad rubedinem, vt inde decentior videretur, miſcella vtriuſque colorem dabit commixtum ex albedine cum rubedine ſemiclara, & decenti. Capillos dat Sol croceos & rubros, Venus pulchros & copioſos, miſcella ex vtroq; dabit multos atque decentes. Venus dat rotundam faciem, Sol non deformem, miſcella dabit faciem quaſi rotundam & laetam. Venus dat maxillas non magnas, Sol non deformes, ergo erunt & decentes. Sol & Venus dant pulchros oculos, & decentes, ex miſcella non alterantur. Sol corpus dat breuis ſtaturae & pinguè, carnoſumque, Venus dat pulchrum ex vtroque habetur corpus carnoſum, quod quaſi pingue dici poterit.

Si Sol cum Mercurio *participabit, ſcilicet calidum & ſiccum cum minus calido & ſicco. Quia Sol &* Mercurius *dant mellinum colorem, ex miſcella quidem orietur, vel illius coloris, cum quo aliquis humor aſſociabitur, quod iſti dicunt, cum aliquis planeta eum aſpexerit, vel cum quo fuerit corporaliter commixtus. Sol dat barbam plenam,* Mercurius *raram & nigram, ex vtroque oritur barba non nimis magna, neq; nimis ſpiſſa. Oculos dat* Mercurius *quandoque magnos, cauos, & paruos, Sol pulchros, ex vtroque ſemigroſsi atque decentes.*

Si Sol cum Luna copulabitur, ſcilicet calidum & ſiccum cum frigido,

frigido, & humido, aliquod bonum naſcetur, vnde ſi Sol dat colorem clarum & pulchrum, velut croceum, & Luna album cum quodam roſeo, ex vtroque natus habebit colorem pulchrum, atque decentem cum quadam albedine ſemiclara, cum aliquali rubedinis admixtione. Sol dat oculos croceos & pulchros, Luna non ex toto magnos, ex vtroque pulchros. Luna dat ſupercilia beneuola, & faciem rotundam, & pulchra ſupercilia erunt.

De formis, & moribus, quos Aſtrologi dare dicunt Venerem cum inferiorum planetarum admixtione.

CAPVT IX.

SI Venus particeps fuerit cum Mercurio, ſignificat hominem habentem colorem pulchrum, atque decentem, faciem longam, naſum ſimiliter longum, atque ſubtilem, frontem eleuatam, pulchros oculos, non ex toto nigros, digitos longos, ſtaturam pulchram, atque decentem. Abdila dixit corpus gracile, ſtaturam mediocrem, pulchram barbam, ſed raram, neque tamen paruam, labia aliquando ſubtilia & ſi Luna fuerit Orientalis, erunt omnia infra praedicta. Hali. Quando hic planeta conuenientiam habuerit cum Mercurio, & fuerit in bono ſtatu, gignit natum amatorem magiſteriorum, ſubtilium factorum, & ſcientiarum, ſapientem, intelligibilem, & verſificatorem, amatorem muſices, & omnis pulchrae rei compoſitae, bonorum morum, non vitioſum, hilarem, amatorem amicorum ſuorum, & bonae legis, ſubtilis intellectus, hic enim bona ſequitur itinera, & bonos mores, amat addiſcere, & oſtendere ſubtilitatem, habet enim intellectum addiſcendi, proſequitur bonorum itinera, & iuſtorum, & aſimilari vult illis, eſt loquelae, ac raciocinationis bonae, expeditè loquetur, amatus, & in ſuis factis iuſtus, amat addiſcere legem ſuam, & ſectam, notus, magnee laudis. Sed quando hic planeta fuerit in diuerſo ſtatu, gignit natum inconſtan-

tis sermonis, quia hic rem vnam dicit, aliam alibi, nemini fidentem, profundarum cogitationum, nulli constantiam seruat, etiam nec amico, magni clamoris, omnibus rebus se immiscet, nec fortè poterit eas perficere & faciet facta diuersa.

Si Venus particeps fuerit cum Luna, & ipsa orientalis in mũdo à Sole, vel benè disposita, significat hominem habentem pulchrum colorem, à quo albedo cum rubedine mixta praeualebit. Supercilia pulchra, & beneuola, oculos ex toto nigros, faciem rotundam, atque decentem, staturam conuenientem & pulchram, si fuerit occidentalis, erunt infra haec. Alii. Oculos non verè nigros, competentes, non ex toto aequales.

Polixenae Troianae forma videtur cum Mercurio admixta, quippe à Venere coruscum, & candidum colorem habet, oculos pulchros, hilares, capillos flauos & longos, corpus bene compositum, à Mercurio personae altitudinem, & gracilitatem, collum longum, crura, & pedes, qui eandem cum manu rationem habent, ob id casta, simplici animo, magnanima, & liberalis. Nepos.

Iliadum populo victore Polixena vultu
Præradiat, solique decus speciale meretur.
Lactea membrorum series, ridentis ocelli
Blanditiæ, pede fulta breui, procera venustas,
Poplitis erecto vibrans vestigia gressu.
Articulos non æquat ebur, non lilia colli,
Ardua non rutilum pauonis fimbria crinem.
Ipsa humilis, simplex, facilis, nil turget herile,
Nil varium fingens, nunquam frustrata petentes.



Formas

Formas non ex participatione Veneris cum reliquis planetis, sed ex qualitatum mixtione prouenire.

CAPVT X.

SEd quod isti ex syderibus prouenire dicunt, nos ex qualitatum miscella dicimus: nam Mercurius dat colorem mellinum, Venus colorem album, tendentem ad rubedinem, vt exinde decentior videretur, ob id ex hac miscella nascetur color nati pulcher, & decens. Venus dat pulchram personam, atque decentem, & in omnibus formositatem, Mercurius faciem longam, nasum subtilem, frontem eleuatam, pulchros oculos, non ex toto magnos, digitos longos. Ex miscella idem eueniet. Et si Venus cum Luna, quia Lunae opera pulchriora redduntur, & Venus albedo cum roseo commixta, supercilia pulchra, & bene dispo sita, nec oculos ex toto nigros, faciem rotundam, & staturam decentem & pulchram.

Quid Astrologi dicant de Mercurij forma cum Lunæ participatione.

CAPVT XI.

SI Mercurius particeps cum Luna fuerit, facit hominem habentem colorem ex albedine atq; rubedine mixtum, valde pulchrum, supercilia decentia, oculos non verè nigros, staturam mediocrem, atque pulchram, oculos rotundos competentes, licet non ex ioto aequales. Hali. Si Mercurius cum Luna coniunctus fuerit in finibus suae latitudinis, auxiliatur, faciendo spiritus permutabiles, ac multarum artium, & inconstantem in omnibus rebus. Si in aliquo nodorum, faciet spiritus subtiles, & acutos, laeuium motuum & bonorum, intellectum in rebus. Si Luna foelix fuerit, faciet natum magis

notum

notum ac nominatum, in negotiis suis sollicitus. Si infoelix, faciet natum vilem, ac parui nominis, tardum & pigrum in suis negotiis. Mercurius commertium habens cum Luna, & ipse bene dispositus, facit hominem habentem colorem compositum ex albedine, atque rubedine conuenienti, pulchra supercilia, oculos seminigros, faciem rotundam cum decenti conuenientia, staturam decentem, atque pulchritudine nobilitatam.

Quod isti dixerunt de forma Mercurii & Lunæ ex qualitatibus prouenire.

CAPVT XII.

Q*Vae dixerunt de Mercurii cum Luna participatione de natis forma, nil aliud est, nisi quod pulchriora omnia eueniunt, quia Veneris est addere pulchritudinem, quare euenit ex optima qualitate caliditate & humiditate.*



IOAN. BAPTISTAE PORTAE NEAPOLIT. COELESTIS PHYSIOGNOMONIAE

LIBER QVARTVS.

PROOEMIVM.

DICTVM eſt de formis, quas dant planetæ ſinguli per ſe, & cum aliis copulati, quibus præſunt, reliquum eſt de illis formis agatur, quas dant ſigna: nam ſicut planetæ, ſic & ſigna ſuas dant formas. Sed non quilibet planeta, vel ſignum ſuas præbet formas completas, ſed ambo ſimul, quia neque planeta ſine ſigno, neque ſignum ſine planeta nato figuram præbere poſſunt, ſicut nec pater ſine matre, vel mater ſine patre. Nemo enim naſci poteſt, quin aliquod ſignum aſcendat, & quin aliquis planeta ei dominetur. Vnde & planetæ derogant ſignis, & ſigna planetis, & vnuſquiſque alterutrum iuuat.

Aſtrologi cœleſtes imagines magna, parua, pulchra, & deformia hominum corpora producere dicunt.

CAPVT PRIMVM.

HVmanae figurae conſtellationes tam intra ſigniferum, quàm extra, Ptolemaeus ait, conformia & temperata corpora producunt, ſed quae ſunt alterius figurae, deformant, & iuxta ſuam vniuſcuiuſque formam hominis corporaturam, & quoddammodo iis ſimilia euadunt membra; vel magnitudine & paruitate

tate, vel colore, & imbecillitate, & conformitate. Magnitudine, vt verbi gratia, Leo, Virgo, & Sagittarius, paruitate, vt Pisces, Cancer, & Capricornus. Rursus vt Arietis, Capricorni, & Leonis priora quidem, & superiora ad valentiorem corporis constitutionem faciunt, inferiora, & posteriora ad infirmiorem, ita contra Sagittarii, Scorpii, & Geminorum anteriora quidem ad imbecilliorem temperaturam iuuant, posteriora verò ad robustiorem. Similiter Virgo, Libra, & Sagittarius conformitatem adducunt, & moderationem, Scorpius verò Pisces, & Capricornus minus sibi constantem temperaturam, & incommensuratam, & in aliis similiter, quae quidem omnia contemplantes, & commiscentes propriam & exactam temperaturae rationem assequemur. Ab eo Hali omnia transcribit, sed quia aliquam afferre possunt declarationem & indicii, eius verba adducemus. Loca coeli, in quibus sunt formae similes formis hominum, & formis, quae sunt in signis, vel extra signa faciunt corpora composita, & bene proportionata; sed aliae formae, quae sunt aliarum conditionum, diuersificant corpora, & inaequalia faciunt ea, ac faciunt assimilari membra membris suae formae, & forte aliquantulum conuertunt ad suam magnitudinem, vel fortitudinem, & debilitatem, vel ad pulchram proportionem, vel turpem, vel sensum aliquem inferunt, vel stultitiam. Et formae, quae afferunt magnitudinem sunt Leo, Virgo, Sagittarius, & quae tendunt ad diminutionem sunt Pisces, Cancer, & Capricornus. Similiter principium Arieeis, Leonis, & Tauri, facit corpora tendere ad grossitudinem, & fines horum signorum faciunt corpora declinare ad macredinem, & debilitatem. Principia Sagittarii, Geminorum, & Scorpionis faciunt corpora vergere ad macredinem, & debilitatem, & fines eorum faciunt procedere ad grossitiem & fortitudinem. Similiter Virgo, Libra, & Sagittarius trahunt corpora ad aequalitatem, & bonam proportionem Taurus, Scorpio, & Pisces faciunt corpora declinare ad densitatem, & diuersam proportionem.

Qualiter ex sola cœli inspectione, ex signorum, & stellarum physiognomonia poterant Astrologi hominum formam coniectare.

CAPVT II.

Sed quae longa experientia & obseruatione didicerunt Astrologi, poterant illico ex Zodiaci signorum conspectione consequi, nam signorum partes, quae maiori stellarum sequentia, & multitudine sunt constitutae, atque primae magnitudinis, ea corpora hominum maiora, praestantioraque producere didicissent, vbi verò carentia vel raritas ex inde imbecilliora & infirmiora corpora nasci cognouissent, vt quisque firmamenti imagines contemplando, quae ab Higinio & aliis descripta sunt, sui voti compos efficiebatur. Verbi gratia. Leo tres habet in capite stellas, in ceruicibus duas, vnam secundae magnitunis: interscapilio tres, pectore vnam primae magnitudinis, in pedibus duas, in extrema cauda vnam primae magnitudinis, in ventre claram vnam, in posteriori genu vnam secundae notae, in postremo pedis vnam tertiae notae. Virgo in capite, humeris, alis, spica, primae magnitudinis octo habet, in pedibus singulas primae notae. Sagittarii asterismus in anteriori parte quatuor & decem tertiae magnitudinis, in cauda vnam, in posterioribus pedibus vnam, & genu alteram secundae magnitudinis. Sed Leo vigintiseptem habet sydera. Virgo vigintisex, Sagittarius triginta & vna, & multitudo in his stellarum magna, & fulgentium, ideo magna corpora producere dixerunt. Contra verò Pisces, Cancer, & Capricornus. Sed Pisces vigintiquatuor, sed quartae & sextae notae, nouem quartae et quintae. Capricornus vigintiocto, sed quartae, quintae, et sextae. Praeterea quae superiora maiora producunt, in superioribus earum partibus maior stellarum multitudo, maiorisque

magnitudinis. Aries, Capricornus, Leo. Sed Aries habet in capite stellam vnam, in cornibus tres, in ceruice totidem in pectore vnam, iterscapilio quatuor, in lumbis vnam, at in cauda vnam, et posteriori pede vnam. Capricornus eodem modo. Leo superius viginti continet stellas, inferius vix septem. Contra verò Sagittarii, Scorpii, et Geminorum asterismi in inferioribus locis numerosiores stellae, et magnae, in superioribus verò egenae. In Sagittarii talo, in genu eiusdem pedis duae adsunt secundae notae, in dextro talo, in crure sinistro, pede dextro, et quinque in cauda, omnes tertiae magnitudinis, reliquae quartae et quintae in superioribus partibus. Scorpio in medio corporis tres habet, quarum vna autares dicta, secundae notae, duae in extremo pede, septem in spondylis tertiae magnitudinis omnes, reliquae quartae, et quintae. Idem de Geminis. Similiter Virgo, Libra, et Sagittarius optimam dispositionem, et temperiem adducunt: quippe earum stellae sunt optimè coloratae et clarae, natura scilicet Iouis et Veneris, contra reliqua Scorpio, Pisces, et Capricornus, ex colore scilicet Saturni, et Martis, et nebulosae sunt. Quae habet Virgo in capite sydera et iuxta alam naturae Mercurii, aliquid Martis, in cingulo Mercuriales et Venereae, quae in spica Venerea, et non nihil Martis. In extremis pedibus Veneriae, cum pauca Martis participatione. Libra in iugo stellas habet Iouis, et Mercurii secundae magnitudinis. Sagittarius in cuspide lunaris, et Martiae habet, in manu Iouis, et Martis, in dorso Iouis et Mercurii in pedibus Iouis, et Saturni, in cauda quatuor Veneris, et non nihil Saturni, omnes ferè secundae magnitudinis. Scorpionis omnes ferè Martiae sunt, in fronte Martis et Saturni, in corpore rutila vna Martis natura, et aliquid Iouis, in nexibus dorsi Saturniae nonnihil Veneriae, in ipsa cauda omnes Martiae, in nebuloso gyro Martiae. Capricornus quas habet omnes, sunt Martis et Saturni, et Mercurii. Idem de Piscibus, nam Martiae, Saturniae, et Mercurii parum, vel nihil de Ioue, et Venere participares.

De

De forma & moribus, quos dat Aries, & eorum physicæ rationes.

CAPVT III.

HAli Arietis formam ita describit. Aries est multorum capillorum, tendentium ad albedinem, in curui aspectus, paruarum aurium & longi colli. Natus erit mutabilis, habebit mutabilem haereditatem, qui parta dissipabit, & dilapsa recuperabit. Maternus. Si horoscopus in Ariete fuerit, hominem facit in iuuenta floridum, dat haereditatem mutabilem, quae parta dilabentur, mox dispersa rucuperabitur, beneficia praestabit ingratis, vt numquam par rependatur, eritque mutabilis, obnoxius capitis doloribus, quippe Aries capiti dominatur. Leupoldus. Qui nascitur in Ariete, respice in quota portione nascetur, nam in principio erit calidus, iracundus, & prae ira caliginosos oculos habebit, similiter & foemina. Ob id finxerunt antiquiores in quarto Arietis gradu hominem adesse crispi capillitii, qui rarò ditabitur, nàm quae pater acquisierat senex, ipse dissipabit, volens minis dominari. In decimoseptimo vir serico indutus, delicatulus. Sed physicae rationes hae sunt. Quia Aries signorum & veris principium est, ideo hominem dixerunt florere in prima iuuenta, & multi capillitii nasci, quia in Arietis stellatae formae cornibus multae sũt stellae: sed capillus ex aff lueti prouenit caliditate, & ex eadem crispitudo, vt in Aethiopibus apparet. Ob intensam etiam caliditatem mutabilis erit consilii, vt diximus etiam de Aethiopibus. Et quia Aries signum mobile, quia mouetur tunc annus ex veteri in nouum, & maxima fit temporum mutatio, ob id etiam mutabilis consilii. Propensum capitis doloribus plusquam aliis aegritudinibus est, quia dicunt Medici calidum caput eiusmodi morbo molestari, longitudo colli, aspectus curuitas, aurium paruitas stoliditatem iudicare diximus in Phy-

siogn, ob id non mirum si eius substantia dilapidata dispergetur, & rursus dispersa colligetur, & si sua beneficia ingratis praestabit.

De Tauri formae constitutione, moribus, & physicis rationibus.

CAPVT IIII.

H*Ali dicit. Natus sub Tauro, erit altae & amplae frontis, longae naris cum amplis foraminibus, magnorum oculorum, capillorum erectorum, & nigrorum, conuertibilis in suis factis, grossi colli, nigrorum superciliorum, ac debilis corporis. Alii. Facit hominem habentem faciem amplam, quandoque curuam, & si non habuerint faciem amplam, habebit nasum grandem, & si non talem nasum habuerit, tractu temporis possidebit per accidens: nares longas, oculos nigros, & grandes, capillos hirsutos, seu erectos, collum grossum & pingue, ferè plusquam deceat, qui terram eundo prospiciat, honeste incedentem, non stabilem, quasi vagum. Maternus de eius moribus haec habet. In sua iuuēta cōtinuis laboribus fatigabitur, et quicquid in prima aetate fuerit consecutus, semper amittet, sed postea quicquid amiserit, cum laetitia cumulabit, & augebit, & habebit foelicitatis bonae ornatum. Alibi pars quarta Tauri homines facit iracundos, & leui quacunque causa minaces. Nona pars turpes facit. Leupoldus. In fine Tauri, qui nascitur erit vilis, & pauper. Sed antiquiores dixerunt in septima Tauri parte ascendere formosam mulierem, & hominem superbum. In vigesimatertia hominem retro in terram cadentem, quasi in omnibus infortunatum, in vigesimaquarta hominem fortem in factis suis, in subsequenti debilem. Sed id non ex stellis, sed naturalibus causis: nam isti ex bouinae formae aspectu humanam describunt. Sunt enim Tauri amplae frontis, & latae, longae naris, cum amplis foraminibus, nigrorum oculorum, capillorum nigrorum, erectorumque*

Tardè incedunt, & incedendo terram aspiciunt (tardus enim bos figit pedem,) vnde ob id Taurinis moribus, laboriosi, vt boues. Erunt in opibus acquirendis anxii, & ad eas perdendas procliues, ob id quicquid amiserint, cum laetitia cumulabunt: qui enim semper laborant, semper acquirunt, & qui bonae fidei, vt boues, semper bona parta deperdunt, & iterum defatigando cum laboribus & laetitia iterum cumulabunt.

De Geminorum forma & moribus, & de eorum eue ntu rationes physicæ.

CAPVT V.

HAli Geminorum formam ita describit. Gemini sunt aequalis corporis, ampli pectoris, pulchrae formae, fideles sunt, quia fidem habent, & fortè producunt scribam, & qui arithmeticis delectentur. Bonatus. Hominem facit mediocris staturae, conuenientis personae, & ampli pectoris. Maternus. Si in Geminis horoscopus fuerit inuentus, in primis vitae constitutus initiis laborabit, & à parentibus illi solatium semper affertur: erit sanè coelestibus facultatibus semper imbutus, & maiorum virorum fidelibus amicitiis astrictus, & qui patrimonium dat. Et alibi. Quarta pars Geminorum maxima corporis pulchritudine facit speciosos, & quos amata pulchritudo Regibus commendet. Leupoldus. Qui nascitur per totum Geminorum signum, erit bonus, sed sterilis, iratus, & coloris sanguinei. Ex coelesti physiognomonia, quia Geminorum signum multas habet stellas secundae & tertiae magnitudinis, & lucidas, ideo dixerunt aequalis corporis & pulchrae formae. Quia in humeris quatuor sunt stellae quartae magnitudinis, ideo ampli pectoris esse formatum. Dixeruntque futurum scribam, aut qui arithmeticis delectetur, & coelestibus facultatibus ob Mercurium; quia quatuor habet stellas in pedibus, et in capitibus alte-

ram Mercurialis naturae, & in foemoribus altera Saturnina, quae ad scientiam conferunt. Sod quia stellae natura Mercurii, & Veneris, quae calidae & frigidae & siccae naturae sunt, ad prudentiam conferunt, & ad fideles amicos: ob id non absque ratione, qui eiusmodi temperaturam sortietur, produnt fidelem, & scribam esse futurum. Praeterea dixit ampli pectoris, qui omnes leonis similitudine liberales & magnanimi sunt, unde non immerito in prima iuuenta facultates, & patrimonium dissipabunt, sed ob suae virtutis merita auxiliabuntur ei parentes.

De Cancri simulachro, & moribus, & de eisdem rationibus physicis.

CAPVT VI.

H*Ali. Cancer est demissus & humilis, grossorum membrorum, superiora membra grossiora habet inferioribus, magni corporis, dentaturae obliquae, & diuersae, capillorum crisporum, tendit ad gnauum, paruorum oculorum, & humerorum amplorum, facit suaues, doctos, suas substantias ex publicis habebit, & publicis negotiis occupati. Sed Bonatus dicit hominis producere corpus incompositum, cutim totius corporis grossam, redditque superius subtile, & inferius grossum, habentem dentes tortos, & oculos paruos. Leupoldus. Cancer totus bonus, guttur eius ex abundantia humoris nodatur. Maternus. Si horoscopus in Cancro fuerit inuentus, facit acutos semper ingenio, sed qui cuncta cum tarditatis moderatione perficiat, facit etiam hoc signum homines suaues doctos, & qui grauiter irasci consueuerint, & qui malos omnes secretis indignationibus prosequantur, fortes, moderatos, sed quorum indignatio facillimè indignetur, & mitigetur. Habebunt sanae vitae substantiam ex publicis, vel ex regiis & publicis locis, quibus vitae illis substantia conseruetur, & erunt semper in publicis necessitatibus occupati, sed illi varia neces-*

necessitate cõpulsi plurimi blãdiẽtur. Bonatus dicit producere hominis corpus incõpositũ, cutim totius corporis grossã. Sed isti Arabes ex marini Cãcri physiognomonia sub eo nati corpus composuerunt, ob id dixerunt demissũ, humilẽ, qui semper terrã spectet, ut cũ capite careat, sursum aspicere nequit, grossorũ membrorũ, & superiora grossiora membra, magni corporis, humerorũ amplorum, nã Cancer totus est corpus, & humeri, cutim grossam & durã, quod crusta integatur, & oculos paruos, ut Cancri Sed si superius inspexissent, vidissent profecto, quas oculos Cancri dixere stellas paruas, & nebulosas esse. Sed Bonatus. Hali, & sibi contrarii sunt, ille nanq; superiora maiora inferioribus, hic autẽ inferiora maiora superioribus. Sed rectius Hali, nam Cancer est eorum signorum, quod paruam dat corporis formam, sed cum corpus & humeros magnos largiatur in coelesti physiognomonia, plures sunt in corpore stellae, quàm in chelis. Sed quamplurimae sunt stellae natura Mercurii, ut quae in oculis & in brachiis, sunt quoque Saturniae, & Solares, idest eius temperamentum frigidum & siccum, calidum & siccum, ideo acutos ingenio producit, ex frigiditate, qui cuncta cum tarditatis moderatione perficiat; Facit enim hoc temperamentũ suaues, eloquentes & doctos, et ex utriusq; siccitate, qui grauiter irasci consueuerint, & ex Mercurio, scilicet, ex ingenio & prudentia, publicis & regiis negotiis implicitus, & in illis semper occupatus.

De Leonis forma & moribus, quos dat natis, & rationibus ex natura productis.

CAPVT XII.

E*X Hali. Leo est flauus Zarchus, bonae formae, boni & clari nominis, membra superiora habet inferioribus maiora, ampli pectoris, cursor, magnae & acerbae irae, acuti aspectus, subtilium crurum, maligni vultus, & malae conceptionis. Quia fixum signum, ob id stabilem*

& fir-

& firmum natum facit in suis rebus, spiritum rectum, veracem, iustum, intelligentem, patientem, suppressorem inimicitiarum. Maternus. Si in Leone horoscopus fuerit inuentus, multis periculis, & laboribus implicabitur, sed per omne vitae tempus erit omnibus notus, & erit semper ingenuus habendi liberam potestatem, & qui non in omnibus malitiae vires exercere, viuendi & imperandi vota concipiet, & propriis laboribus acquirens substantiae facultatem. Leupoldus. Leo totus bonus, fortis, sapiens, iracundus, dedecus sibi facientibus, foemina virilis. Bonatus. Leo hominem industrium facit, notum valde, & intelligentem, superiora maiora, inferna verò graciliora, nec inde efficietur indecens, crura subtilia. Diximus ex Ptolemaeo Leonem facere superiora maiora, & inferiora graciliora, ob id dixit Hali, superiora maiora, ampli pectoris, & subtilium crurum. Leonis imaginem efficiunt quamplurimae stellae, & primae magnitudinis, naturae vt plurimum Martis, vt duae illae in capite, & in corde Martis caliditate pollentes, Veneris & aliae, & Iouiae, quae nato caliditatem, et humiditatem praestant, ob id magnae et acerbae irae, vt leo, magnanimum animal & notum, & ideo, vt diximus in Physiogn. notus sua fortitudine, libertatis cupidus, & qui aliis subiugari nequeat, immo imperandi, & bellandi luxuria laborabit. Diuitias acquiret, vt qui eas facile largiatur, facile aliis auxiliabitur, ob regalem suum animum, ob id variis periculis implicabitur ex se, & laboribus.

De Virginis corporatura, & moribus, & rationibus physicis contra Astrologos.

CAPVT VIII.

EX Hali. *Virgo, vt honestas dicet virgines, est pulchri corporis, bonorum morum, longa aliquantulum, bene instituta, non est pinguis, fidelis est et veridica. Esse potest doctrix scribendi, et bonae institutionis, et quod*

his assimilatur. Bonatus. Virgo reddit hominem habentem pulchram personam, pulchros oculos, faciem decentem, & bonam voluntatem. Leupoldus. Virgo in omnibus bona, vir castus, amabilis, foemina casta, bona, humilis, diues, boni moris prae omnibus praedictis. Maternus. Si in Virgine horoscopus fuerit inuentus, erit multis laboribus, & multis sollicitudinibus implicatus. Erit sanè laetus, humanus, & apud quem pura amicitiae necessitudo permaneat, & ad quem damni alicuius sollicitudo pertineat, multa sciẽs, & omnium disciplinarum secreta perquirens, omnia in claustra pectoris retinens, se praeconio simplicitatis ornatos, & cui adhuc docti sermonis gratia, aut negotiationis officio, aut ex successione, aut ex sacris, aut ex virtute aliqua magna foelicitas, & magna confertur substãtia facultatis. Dicũt alii in nono gradu mulierẽ ascendere cum facie rubra, erit vir iracundus. In duodecima facie nigra, rubris vestibus indutus. In Virginis figura quamplurimae sunt stellae Veneriae, aeedem Mercuriales Veneriae, videlicet quae sunt in cingulo, quae in spica, & pedibus, in oris vestimenti Mercuriales, quae in ala, in cingulo, in Vindemiatore, quae Saturni quoque est, & ex suis qualitatibus, quas saepius recitauimus, pulchri enim natus corporis, pulchri oris, & oculorum. Ex Mercurio multiscius, nihil non inexploratum relinquens, omnia inuestigans, omnia tentans, maxime praestabit in eloquentia, & legationis officio & gubernationis fungetur, & in negotiatione, vt ex inde magnae foelicitatis facultates comparentur.

De Libræ corporis constitutione & moribus.

CAPVT IX.



Helarum asterismus est, vt inquit Hali, dissentionũ mediator, est bonae ac pulchrae formae, mediocris, in carne & corpore, ac forma, alba in facie, & nigra in corpore, & est eorum, qui volunt esse versificatores, cantores,

res, & bene loquentes: dicta sua bene componit. & est amatrix mulierum, & delectationum. Bonatus. Libra facit hominem habentem mediocrem faciem, mediocriter corpus carnosum. Leupoldus. Librae caput malum in omnibus. Sed Libra in fine bona. Maternus. Si horoscopus in Libra fuerit inuentus, habebit aegritudinem, & multis periculorum laqueis implicabitur, & assidue illum aduersariorum turba pulsabit, ac de veris, & definitis rebus habebit contentiosa certamina, cuius vita inaequalitatis semper varietate mutetur. Sed in omnibus inuictus erit, & talis, vt nulla re videatur esse posterior, gloriosus. Sed locus filiorum erit mutabilis: nam nunquam ei integer filiorum numerus perseuerat. Erit talis, qui in omnibus rectum velit habere iudicium.

Quia Libra ex iis est, quae conformitatem, & moderationem corporibus afferunt. ob id corpus mediocriter carnosum. Et quia in Australi, & Septentrionali ore Lācis duae sunt fulgentissimae stellae primae magnitudinis, & duae aliae inferius obscurae & nebulosae, ob id faciem albam, & nebulosum largiri corpus. Erit inaequalis vitae, & numerus filiorū variabitur, qui sub Librae mobili signo natus est. Et quia Librae Venus est domina, & stellae illius sunt Mercuriales, & Saturninae, ob id mulieres amabit & carminū Poeta *erit. Nos dicimus quia albicolores sanguinei sūt, & multi seminis, & ex Saturni & Mercurii complexione, integrae fidei, & sinceri iudicii: nam dixit* Hali. *Sunt bene eloquentes, & illius stellae Mercuriales sunt, & complexio calida, & humida Veneris, cum sicca Mercurii, & frigida & sicca Saturni, nulla res prorsus infoelix, quàm in liberis procreandis: horum cum aliquos procreauerit, numerus statim deficiet. Mutabilis conditio Mercurii, & suae complexionis multis aegritudinibus, periculorum laqueis, hostibus & litibus implicitum reddet: inimicorum litibus affligetur, attamen de his semper post pericula maximo praefulgebit triumpho.*

Scorpio quas dat formas & mores.

CAPVT XI.

DE Scorpione haec habet Hali. Scorpius est Zarchus, depressus et humilis, multorum capillorum, paruorum oculorum, paruae facici, longorum crurium, magnorum pedum, cursor et agilis, deceptor, artherius, non contentus de re aliqua. Bonatus. Facit hominem habentem faciem rubicundam, et paruam, multos capillos, et oculos paruos, longa crura, pedes magnos, cito mutabilem, litigatorem. Leupoldus. Scorpio, bonum caput, in medio malus et fastidiosus. Maternus. Tertia pars Scorpionis homines facit vanos, gibbosos, deformes, atque ridiculos. Si horoscopus in Scorpione fuerit inuentus, in prima aetate facit acutos, iracundos, egiles, sed hi per multa infortuniorum genera ducentur. Verùm postea foelici licentia subleuantur, et erunt magnis laetitiis dediti. Si Iuppiter uliqua radiatione respexerit, erunt gloriosi, et in alio loco, vel àlia ciuitate suo studio transferentur, et erunt semper erecto spiritu subleuati, acuti proferentes ornamenta sermonis, erunt tales, quibus semper varïetas placeat propter amicos, aut negotia, aut pericula semper occurrunt, et post multa ex ammissione filiorum infortunia, rursus foelici sobole gaudebunt. Alii. In decimo Scorpionis gradu inuenias collo, ore, oculis, et toto capitis gestu tortuosa, idque contradicentem aduersarium significare, ceruicis fore indomitae, opinionisque destinatae futurum esse praesagiunt. Figuram, quam innuit Maternus, homerico Tharsiti congruam iudicamus, describit enim fuisse turpissimum, strabonem, claudum altero pede, et ipsius humeros curuos, et in pectus contractos, acuto capite, rara in barba lanugine. Erat enim loquax, argutus, contentiosus, ignauus, et ridiculus. Zarchus color est flauus ad rubedinẽ tendẽs, et est carbonis Martis color. Trium quae in fronte sũt, sunt splendidae, et media triũ, quae in corpore,

ut carbones splendent, ec variae sunt, et si quid ex ipsarum Physiognomonia diuinare licet, Mercuriales viros efficit, rixosos, lites cum omnibus pro nihilo capientes, mutabiles, iracundos, agiles, acutae irae, qui per multa infortuniorum genera ducetur. Sed si Iuppiter aliqua radiatione respexerit, idest si eorum intensr caliditas, aliqua humiditate mitigetur, erũt optimae temperaturae, erunt gloriosi, & foeliciter subleuabuntur. Erunt erecti spiritu, acuti, & foelices, cordati, ingeniosi, sagaces, rerumque omnium non inscii, ingeniumq; ad disciplinas omnes idoneum possidebunt. Longa crura et brachia, audaciam significabunt, & roboris signum. Sed longa crura, magnum ventrem, & magnos pedes dat Scorpio, ut diximus supra ex Ptolemaeo, qui inferiora grossiora, superiora minora dabat. Ex hoc fingebant antiqui imaginem in Scorpione facie multum tortuosa, innuentes hominem mutabilis opinionis.

De Sagittarij forma, moribus, & eorum physicis rationibus.

CAPVT XII.

I*N quit Hali. Sagittarius est flaui coloris, longorum crurum. & grossorum, faciei, ac barbae longae, acuti menti, subtiliũ capillorum, magni ventris, apparet à tergo pulchrior, quàm anterius. Leupoldus. Sagittarius habet caput bonum, foemina morietur partu, vel sanguine, vel in aqua. Similiter in fine. Bonatus. Delectatur equitare. Maternus. Horoscopus in Sagittario multos aduersarios faciet, & collectum patrimonium, unde non sperauerat, confertur: peregrinis frequenter rigoribus detinebitur. Grandem fluuium, aut grandẽ pelagum nauigabit, erit semper in publicis conuersationibus positus: in aquosis, aut ex aquosis locis vitam pariter habebit & fructum, plurimas artes & disciplinas consequetur, erit cordatus, ingeniosus, & omnium rerum scius. Quod sit longorum crurium & grossorum,*

ma-

magni ventris, & posteriora pulchriora anterioribus, idest inferiora formosiora superioribus, vt superius iam diximus, & stellae, quae in eiusmodi imagine quãplurimae Martiae naturae, & rubicundae, & flaui coloris, ex Aristotele, Galeno, & Auicenna temperiem arguit inter adustam & frigidam, vt in Physiogn. & hos fortes, & animosos, ac leonibus comparandos esse: ob id non immerito aduersarios multos habebit, & quia audax in publicis conuersationibus semper positus, ob temperiem bonum consequetur ingenium: vnde multas artes, & disciplinas consequetur: ingeniosus, cordatus, & multiscius. Et quia Martius est in varias regiones peregrinabitur, & multum equitabit: quia qui calidi, loco stare nesciunt, sed impatientes. Sed qui longorum crurum & magnorum sunt, & magni ventris, subtilium capillorum Lunares sunt: nam stellae quae in acie iaculi sunt Lunares, scilicet humidi & frigidi temperamenti, & participabit sua complexio etiam de frigiditate & humiditate, ob id itinera eorum per aquas erunt, & in aquosis morabitur, & ex iis suos fructus conquiret.

De Capricorni corporatura & moribus.

CAPVT XIII.

HOminem, scribit Hali, Capricornus facit subtilium crurum, sicci corporis, & quod apparet in eius facie caprae similitudinis aliquantulum: pars vultus & faciei est subtilis & acuta, & locus barbae est valde acutus, ac capillorum multorum. Maternus. Si Capricorni pars quintadecima in horoscopo fuerit inuenta, homines facit nanos, gibbosos & deformes. Sextadecima pars homines facit gibbosos, & qui sex digitos in manibus habebunt. De moribus verò. Si horoscopus in Capricorno fuerit, ꝑ amicis puro excebit amicitiã semper affectu. Erit subdolus & laetus, & cum nihil desit, ad vitae subsidium peregrinabitur, & quibus vitae alimenta praestiterit,

rit,

rit, ipsi ei existunt semper ingrati, erit amabilis, parui animi, & longis, et prolixis semper precibus molestus. Erit talis, cui abundet substantia facultatis, vitae alienae, aut absconsarum religionum secreta perdiscens. Leupoldus. Capricornus totus bonus. Astrologi inquiunt in vigesimoseptimo gradu eius ascendit vir canino capite, quod scilicet litigiosus fuerit Addit Hali. Peregrinabitur facile, quia instabilis, quia sub signo mobili natus. Facit Capricornus subtilia crura, vt diximus, ex stellarum carentia in inferiori sui parte. Dixitq; facere faciem caprae, est enim ex iis signis, quae deturpant natum, et deformem reddũt. Sed eadem hircina facies subtilia crura, et tibiae, mentum acutum, et barba subtus hirsuta, hircinum ostendit hominem. Sunt stellae in eius imaimagine, vt plurimum, Martiae, et Veneriae, Saturniae, et Merculiales; idest quod facit hominem calidae et humidae temperaturae cum aliqua siccitate, et frigiditate. Ob id subdolus, laetus amicus, facile peregrinabitur, habebit ingratos, quibus alimenta praestiterit, pusillanimus ex frigiditate.

De Aquarij corporatura, moribus, & naturalibus causis.

CAPVT XIIII.

EX *Hali. Aquarius dat alterum crus altero maius, apparentis sanguinis in corpore et colore. Est portarius, magni se existimans, bonae famae, liber, magni sumptus, vastator sui patrimonii. Bonatus. Facit hominem album, pulchram habens faciem, et coloratam, crus alterum altero maius. Leupoldus. Aquarius in medio bonus in fine vir vilis, foemina meretrix. Maternus. Horoscopus in Aquario, quodcunque consecutus fuerit, qualicunque rursus laceratione dilapidabit, et quicquid habuerit, vel quaesierit, rursus amittit, sed quod amissum fuerit, facili ratione plerumque colligitur, multos suscipiet fouens, et multis vitae alimenta praestabit, et erunt circa ip-*

sum

ſum ingrati, quibuſcunque ab ipſo aliquid fuerit forte collocatum, Et magnis viris erit bonis actibus notus. Quem album dicit Hali, et Bonatus coloratum pulchrum, nos in Phyſiogn. diximus candirubrum, qui color facit hoſpitales, munificos, etiam erga maleficos, vt quaecunque conſecutus fuerit, laceratione dilapidabit, & rurſus quicquid amiſſum fuerit, facili ratione cumulabit. Delectabitur nobilioribus artibus & ſcientiis, ob nobiliſsimam temperiem, & ob nobiliſsimos eius mores erit principibus carus & notus. Et quia praeſtantium ſcientiarum apicem tetigiſſe videbitur, inuidia proſequetur.

De Piſcium imagine & moribus.

CAPVT XV.

P*Iſcis, vt Hali ſcribit, eſt ampli pectoris, parui capitis, pulchrae barbae, magnae faciei. Deiectus dormitor, albi coloris, rotundorum oculorum, & in forma ſua habet maculam. Bonatus. Facit hominem habentem pectus amplum, caput paruum & pulchrum, barbam pulchram, atque florentem, malum faciei, reſpectu ſui capitis amplum, album colorem, rotundos habentes oculos, & magnanimum. Leupoldus. Piſcis eſt mediocris. Vir pauper, filiorum multorum, voce pauca, villicus, vel paraliticus. Si horoſcopus fuerit in Piſcibus, inquit Maternus, erit natus ingenioſus, cordatus, fidus amicus & neceſſarius, & ex quibuſdam negotiis promouebitur, ita tamen vt poteſtati eius & honoribus, alia poteſtas praeferatur. Habebit inimicos, & ex longis quibuſdam negotiis gloriam conſequetur, ſed proceſſu temporis maioris dignitatis ornamenta conſequitur, & magnae habebit foelicitatis augmenta, & aſsidue cum multorum notitia peregrinationibus notus. Sed rationibus naturalibus haec eueniunt. Quia Piſcis domus eſt Iouis, & quamplurimae ſtellae in eo ſunt Iouialis virtutis, vt quae in corpore, & quae in filo ſunt Septen-*

ptentrionali, ob id fidus amicus, & ad dignitates subleuabitur, habebit & foelicitatis augmenta, & ex longinquis quibusdam negotiis gloriam consequetur. Sunt & Martiae quaedam, vt quae in corpore, & in nodo splendida. Sunt & Mercurii, quae in capite sunt, in corpore, & in cauda, & in nodo: ob id erit ingeniosus, cordatus, fidus amicus, & necessarius, & peregrinationibus notus.

De signis mobilibus, fixis, & communibus.

CAPVT XVIII.

Oportet primo praefari quaedam, sine quorum notitia ignorarentur tum coelestis, tum physicae rationes: hominum formae, & motuum. Sunt enim apud Astrologos signa aliqua Zodiaci mobilia dicta, alia fixa, alia communia. Sunt mobilia signa Arietis, Cancri, Librae, et Capricorni, dicuntur etiam haec cardinalia, quae quatuor Zodiaci cardines constituunt, temporaque anni quatuor distingunt. Aries vernum, Cancer aestiuum, Libra Autumnale, et Capricornus brumale: dicunturque mobilia, quia quando Sol ad ea peruenit, mutatur de vno tempore in aliud, nam ad Arietem perueniens, mutatur tempus ex hyeme, ad ver, et sic de aliis quartis. Sunt et signa fixa Taurus. Leo, Scorpio & Aquarius, quia status temporis in illis firmatur ob id fixa dicta: nam quando Sol erat in Ariete temperatus, in Tauro fit firmior, & temperatior, et si in Cancro ardens, adueniens in Leonem ardentior, si in Scorpione humidus, in Aquario humidior. Communia dicuntur Gemini, Virgo, Sagittarius, & Piscis, quia manifestae sunt in his temporibus mutationes. Dicũtur ẽt bicorporea signa, et hac de causa binis corporibus figurantur, nam dum sunt in eorum medio, vim praesentis temporis ostendunt, et dum sunt in fine succedentis, ponuntur quae media, siue communia inter fixa et mobilia, quia ab extremo ad

extremum absque medio non fit transitus. Quae omnia à physicis rationibus non abhorrent. Hippocrates enim libro de aere, aquis, & locis coeli mutationes esse in causa dicit, vt homines stabiles, mutabiles, & communes sint, nam vbi varia & instabilis est anni mutatio, vel Solis, & illic instabiles mentes, & varii mores existunt, vt illis accidit, qui sub Aequinoctiali morantur: binas enim aestates, hyemes, autumnos, & ver habent; & ex iam variis coeli mutationibus mentes leues fieri. Contra sub Septentrione, sex mensium aestas, sex verò hyemis est, ob id stabiles & firmi in opinionibus: qui verò in media sunt zona, medio modo segerunt. Non aliter euenire videmus in iis, qui sub mobili zodiaci signo nascuntur: nam mobiles, & varii mores, & inconstans vita videtur, par enim est ratio, & sic fixae in fixis. Sed de his latius in nostris Physiogn. Ob id Hali. Similiter commixtiones formarum Planetarum habentium magnam potentiam in hac re, vt dictum est, & faciendae, & conferendae sunt ad statum, quem habent cum Sole, & in angulis, similiter etiam ad statum, & proprietatem naturalem in cuiuslibet eorum, & ad proprietates & naturas signorum, quia generaliter signa mobilia gignunt spiritus amantes, ad commune populi bonum pertinentes, & nitentes loqui, & agere de rebus communitatis, & ciuitatum, diligunt etiam famam bonam, & quod bonum dicatur de se, sunt etiam temperati, nec facile mouentur. Leupoldus. Signa mobilia faciunt diligere vniuersitatem, vnionem, laudem, dant ingenium, liberalem aliis, bonae opinionis, & peritum in stellis. Ex Leupoldo. Signa verò communia pariunt conuertibiles spiritus, & pernutantes se ex re qualibet, non firmantur in re aliqua, diuersarum conditionum, nec potest quis scire modum morum eorum, conuertibiles sunt, & amatores, musicam diligunt, & sunt vagabundi, intelligibiles, cupidi eius, quod faciunt. Sixa fixa producunt spiritum nati rectum, amatorem, veracem, non defraudantem, firmum in suis rebus, iustum, contentum illius, quod habet, intelligentem, patientem, diligentem la-

borare, fortem, suae voluntatis refrenatorem, nec parentem cupiditati, & suppressorem inimiciarum, qui eam non ostendit, & est nobilitatis amator, constans in rebus suis, nec permutatur.

De variis hominum corporaturis, & moribus, quæ in quatuor anni quartis nascuntur, & primum de vernali.

CAPVT XVII.

D*Iximus de signis & moribus, quae de signis nascebantur singulis horoscopantibus, nunc de quatuor mundi quartis dicemus. Ptolemaeus ad corporum configurationes, & temperaturas conducere dixit quatuor anni quartas, quippe à verno aequinoctio, & aestiuo solstitio vernalis quarta intercipitur. Vernam hanc dicit facere homines coloratos, staturosos, valentes, oculis nitidis, magis ad humidam, calidamq; temperaturam accedentes. Leupoldus eadem. Ex quo Hali. Si quando natiuitas fuerit quarta anni ab aequinoctio vernali vsque ad aestiuale solstitium, erunt nati boni status, corporis in longitudine & crassitie, sed quae magis tendunt ad crassitiem, bonorum, & pulchrorum capillorum: vincet enim in eius complexione caliditas & humiditas. Mores, qui ex his nascuntur iam diximus de singulis ascendentibus signis, mox de mobilibus fixis, & communibus, vnde taediosus essem iterum replicare eos. Sed haec hominum forma, quae ab Astrologis descripta est ex anni, & stellarum Physiogn. capi potest. Vernante enim anno, Sol ad nos accedens, post gelicidia, tempestates, & ventos & nubila aer clarior iam factus, coloratior Sol, & formosior, & caetera sydera conspiciuntur, & clariori intermedio, per quod conspicitur, & quia augescentia omnia, & maiora fieri conspiciuntur, quae iam mortua, immobilia, & sine honore steterant, in magnitudinem crescunt, ob id corpora nostra maiora nasci, & magis staturosa dixerunt, ex Solis nitiditate, stellarum, coeli & oculorũ nostrorũ nitidiora coniectantur. Sunt*

enim

oculi corporis ſtellae. hyems enim ex longitudine Solis excolor, vel albus videbatur, vere coloratior, & terra variorum florum conſpicua, videbuntur corpora coloratiora fieri. Sed ſi ad phyhſicas rationes diueniemus. Exiſtente tunc anni quarta calida & humida, aere ſic affecto, afficit corpora, quae ambit, vt calida & humida fiant, et eorum ſemen calidum & humidum efficitur, vt quae tunc corpora gignantur, calida & humida fiant. Vnde aliis non obſtantibus cauſis, quae hyeme naſcuntur corpora pleraq; vel omnia calida et humida naſcuntur ob id ſtaturoſa, coloratiora, & robuſtiora eueniunt, et eiuſmodi optima temperatura ſunt optimi mores coniectandi, magnanimi, liberales, amantes, laeti, cantores, hylares. Diuites item, nobilia magiſteria, magiſtratus, & eiuſmodi mores conſpicati, & caetera, quae de ſanguineis, Iouialibus, & Venereis diximus.

De hominum figura, & moribus, qui in æſtiua anni quarta naſcuntnr.

CAPVT XVIII.

PTolemaeus, corpora verò, inquit, quae inter aeſtiuam conuerſionem, & autumnale aequinoctium compraehendũtur, colore medio ſunt, & conformi ſtatura, valentes, oculis nigris, hirſuti, capilli criſpi, ex temperamento calidiores, & ſicciores. A quo Hali. Sed ſi in quarta fiet, quae eſt à ſolſtitio aeſtiuali vſque ad aequinoctium autumnale, facit mediocritatem in longitudine & magnitudine corporis, & tendit ad groſsitiem, magnorum oculorum, capillorum multorum, villoſum, & vincet in eius complexione caliditas, & ſiccitas. Ex coeli Phyſiognomonia, & temperamento eueniunt forma nati, & mores. Cum enim Sol robur acceperit, facit corpora firma, & robuſta, deſiccando humores, non autem magna, vnde augmenta quae fecerant, confirmat, & conſolidat, colores in nigrum ten-

tendunt, quia ficciores, & robuftiores, Crifpi capilli, & hirfuti, ex calido & ficco temperamento proueniunt, vt frondes in arboribus, quod faepifsimè diximus. Sed ad phyficas rationes accedendo. Quia coelum aeftate calidum & ficcum eft ex Solis acceffione, calidum & ficcum humanum fit femen, fic & homines in vtero generari, vnde & forma, quam diximus, & mores proueniunt, iracundi, & dedignofi, & fimilia.

De hominum forma & moribus, qui fub Autumnali quarta nafcuntur.

CAPVT XIX.

I*Nquit Ptolemaeus. Et quoniam inter Autumnale aequinoctium, & conuerfionem hybernam nafcuntur, flaui, graciles, maculofi, rarique corporis texturae, capillamenti mediocris, debilibus oculis, frigidiores, & ficciores. Hali ab eo. Praeterea fi natiuitas fuerit in quarta, quae eft ab aequinoctio autumnali vfque ad Solftitium hyemale, facit natum coloris mellis, fubtilioris vocis, humerorum amplorum, macrum, capillorum extenforum, pulchrorum oculorum, & vincit in eius complexione frigiditas. Phyfiognomonia huius quartae itidem ex anni Phyfiognomonia dependet. Quia in hac quarta arborum afpectus defectuofus eft; nam partim folia amiferunt, partim retinent, ob id mediocris capillamenti, rarae corporis texturae, & fuam Sol deponens caliditatem & croceum colorem difcedere incipiens, color nati mellei coloris, & oculi debiliores, à debiliori lucis fplendore. Sed phyfica ratio cogit ex complexione frigida et ficca, natos coloris mellis, fubtilioris vocis, macros, extenforum capillorum, rarae corporis texturae, et corporis maculofi. Surgit enim, et crefcit in corpore melancholia, cuius proprietas eft corpus maculare. Mores iam faepius diximus ex melancholia.*

De natorum forma, & moribus eorum, qui sub hyemali quarta Zodiaci nascuntur.

CAPVT XX.

SVbiungit Ptolemaeus. Qui à brumali solstitio, et verno aequinoctio continentur, nigri sunt, conformi statura; capillis rigidis, subtenuibus, temperatura frigida et humida. Ex quo Hali. At si natiuitas fuerit in quarta, quae à solstitio hyemali vsque ad aequinoctium vernale, erunt nati nigri coloris, aequales in magnitudine corporis, capillorum croceorum, et rarorum, membrorum bene proportionatorum, et vincet in eius complexione frigiditas, et humiditas. Haec hominum physiognomonia ex coeli facie descripta est. Coelum tunc caligat, et Sol nubibus, nebulis, et caligine obsitus, obscuri sunt dies sine Sole: ob id non immerito nigri nascuntur, arborum caluities facit rarorum cepillorum, arborum sarmenta, germina, et pullulationes annotinae, tenues et rigidi, ob id capilli rigidi. Sed physica ratio cogit nos dicere, quod frigida et humida sunt temperatura, conformi sunt statura, nigros oculos, et pilos rigidos et subtenues. Mores sunt, qui ex humida temperatura, timidi, imbecilles, misericordes, debiles, et phlegmatici.

De alijs imaginibus, quæ extra zodiacum reperiuntur.

CAPVT XXI.

IN vigesima Arietis parte hoedus oritur. Sub hoc asterismo quicunque nati fuerint, vt Maternus habet, sunt austera facie, prolixa barba, et obstinata fronte, ita vt Catonis prorsus institutum imitari videantur. Sed totum hoc fucato menciuntur affectu, et aliud ex fronte pollicentur, aliud latenter in moribus celant. Erunt imbecilles, timidi, et qui omne pugnarum periculum perhorrescunt. Manilius ad id libro quinto.

Cumq;

Cumq; decem partes Aries duplicauerit ortus,
Incipient hœdi tremulum producere mentum
Hirtaq; tum demum terris promittere terga,
Qua dexter Boreas spirat, nec crede secretæ
Frontis opus, signo structos, nec crede Catones,
Aut Brutum, atque parem Tarquinium, & Horatia facta.
Maius onus signi est, hædis nec tanta petulcis
Conueniunt, leuibus gaudent, lasciuaq; signant
Pectora, & in luxus agiles, agilemque vigorem
Descendunt, vario ducunt in amore iuuentam.
In vulnus nunquam virtus, sed sæpe libido
Impellit, turpisque emitur vel morte voluptas.

In sexta Tauri parte Pleiades oriuntur, quibus orientibus si si quis ortus fuerit, semper nitida et polita fronte erunt, atque accuratis vestibus prompti, quorum inflexi crines torqueantur semper in ostro, nec non et appositis alienis crinibus fictam, et compositam pulchritudinem mentiantur, totius corporis formam vario pigmentorum genere mollientes. Hi enim demptis pilis corpus suum in foeminei corporis imaginem transferunt, quorum vestes quoque ad muliebris cultus similitudinem excolentur. Hi molliter ambulantes, vestigia sua cum moderata quadam moderatione suspendunt. Hos autem sic ambitio sollicitat, quem morbum sic appetunt, vt hinc putent virtutem sibi, et maximum gaudium foelicitatis accedere. Hi praeterea semper amabunt, aut se amare simulabunt, ac eos poenitebit, quod viri nati sint, luxuriosus et lasciuis voluptatibus occupabuntur, hos enim vnguentis oblitos, et nimiae deditos vinolentiae, petulantiae vitia semper extollunt, quae in conuiuiis, et coetu hominum, alienas vitas amari sermonis licentia pulsent. Erunt sanè ad omne libidinis applicati, et qui falsi sermonis mordacibus dictis risus hominum assueuerint concitare. Hunc autem locum si maleuola stella forti radiatione pulsauerit

repen-

repentinis coecitatibus opprimentur, ita vt ex hac causa miseri efficiuntur. Idem alibi. Si maleuolae stellae hunc locum respiciant, aut ex venerea voluptate, aut ex nimio cibo inter epulas, sine aliqua lamentatione mors illi amara proueniet. De hac figura Manilius.

Taurus in aduerso præceps attollitur ortus,
Sexta parte sui certantes lucis ad horas
Pleiades ducit, quibus aspirantibus almam
In lucem educunt Bacchi, Venerisque sequaces.
Perque dapes, mensasque super petulantia corda,
Et sale mordaci dulceis quærentia risus,
Illis cura sui vultus, frontisque decoræ
Semper erit, tortosque in flexum ponere crines.
Aut nudis reuocare, & rursus vertice denso
Fingere, & oppositis caput emutare capillis,
Pumicibusuue cauis horrentia membra pulire,
Atque odisse virum, sterilesque aptare lacertos,
Fœmineæ vestes nec insunt tegmina plantis,
Sed species, fieriqua placent ad mollia gressus,
Naturæ pudet, atque habitat sub pectore cœco
Ambitio, & morbum virtutis nomine vitant,
Semper amare parum est, cupient & amare videri.

Huc afferemus A. Gellii scriptum De P. Africano Pauli filio, qui P. Gallo homini delicato, inter pleraque alia, quae obiectabat, id quoque probro dedit, quòd tunicis vteretur manus totas operientibus, qui quotidie vngentatus aduersus speculum ornetur, cuius supercilia radiantur, qui barba vulsa foeminibus subuulsis ambulet, qui in conuiuiis adolescentulus cum amatore, cum chirodota tunica inferior accubuerit, qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit, eum ne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinaedi facere solent? Et refert Plutarchus Archesilaum Philo-

sophum

ſophum verbo vſum de quodam nimis delicato diuite, nam cum vocem eius infractam, capillorumque ante compoſitum, & oculos ludibundos, atque illecebrae voluptatiſque plenos videret, nihil intereſt, inquit, quibus membris cinaedi ſitis, poſterioribus, an prioribus. Sunt etiam Siciliae viri, qui effoeminati dicuntur, imberbes, voce gracili, muliebribus veſtibus induti, omnino ſe viros eſſe obliti, domeſticis ſeruitiis cum aliis ancillis intendunt, et virilia turpiter patiuntur. In decimaquarta parte Capricorni, oritur Ceſphaeus. Quicunque hoc ſydere nati fuerint, graues erunt, auſteri, & omni ſeueritatis atrocitate metuendi, & vultum ſemper ex morum auſteritate fingentes, qui etiam ſtoicam ſectam vero ſequantur affectu, tales enim apud veteres fuerunt Catones. Si verò hoc ſignum in Occaſu fuerit inuentum, in ſcopulis, in quibus aliquando periclitari fuerint, miſera corporis iactura morientur, aut nati ſtatim peribunt, aut propter inceſſum publica animaduerſione plectentur, ita vt nouae iis & inauditae mortis inferatur exitium. Manilius.

Sed regione means Cepheus humentis Aquari.
Non dabit in luſum mores, facit ora manere
Frontiſque, aut vultus componit pondere mentes,
Paſcentur curis, veterumque exempla reuoluent
Semper, & antiqui laudabunt verba Catonis.
Tutoriſue ſupercilium, patruiue rigorem
Component teneros etiam qui nutriet annos.
Qui etiam tragico præſtabunt verba cothurno. &c.

Quicunque prima Arietis parte Oriente, in qua canicula, natus fuerit, quae à Graecis ſyrion dicitur, vocem habebunt, creſcentibus faucibus canum latratum imitantes, ita vt ſaepius impetu, & furore commoti, aut dentes quatiant, aut attritos ſemper exacuat, effrenatos animos ad omne ſtudium praepoſteri facinoris applicabunt, erunt ab omni humanitatis gratia ſeparati, & qui libenter

omnia

omnia violentiae studia sectentur, furiosi, iracundi, terribiles, minaces & quos omnes homines & oderint pariter, & metuant. Erunt praeterea animosi, & verbosa sermonis affluentia inflati, & quos ad omne conuitium incautus sermo impellat. Hi etiam noua causarum iurgia cogitantes, cor habent crebris agitationibus palpantes. In occasu inuentus, à lupis comedetur, aut à canibus, ex feris dissipati vitam suam misera laceratione consument. Et alibi. In ore canis, qui horoscopum habent, erunt turpi vita, inquinato ore, sed affluentia varii sermonis ornati. A quo Manilius.

Cum verò in vastos surgit Nemeæ hiatus,
Exoritur canis, latratque canicula flammas
Et rapit igne suo, geminatq; incendia Solis.
Qua subeunte facem terris, radiosque mouente,
Dimicat in cineres orbis, fatumque supremum
Sortitur, languetque suis Neptunnus in vndis.
Effrenos animos, violentaque pectora fingit,
Irarumque dabit fluctus, diumq; metumque,
Totius vulgi præcurrunt verba loquentis.
Ante os est animus, nec magis condita causis
Corda micant, & lingua rapit, latratq; loquendo
Morsibus in crebris, dentes in voce relinquit.
Ardescit visio vitium, viresque ministrat
Bacchus, & in flamma sæuas exuscitat iras.
Nec syluas, rupesq; timet, vastosque leones,
Aut spumantis apri dentes, atque arma ferarum,
Effundit suas concusso in robore flammas.

Si natus oritur quando terremotus fuerit, aut coelum tonuerit, semper corpore tremulus, & instabilis erit, & qui dubio gressu trepidantibus vestigiis per omnia horarũ momenta imminentium culminum speret ruinas, & metuat. Huic oculi micabunt, &

cudenti omnium acie perhorreſcunt, nec ipſa verba certum ordinē ſeruabunt, ſed impeditus vocis ſonus tremulum motiuum exitilabit, ita vt ſtrictis faucibus, in quo ſemper exitu verba deficiant, putabant enim ſemper tonare coelum, terramque moueri, omnia ſemper ruere, ita vt caduci, mundi, terroribus cogitatis rectae conuerſationis ordinem perdant.

Phyſicæ rationes de reliquis imaginibus.

CAPVT XXII.

Sed ad phyſicas rationes deueniamus, vt in reliquis fictamque aſtrologicam ſcientiam detegamus. Haedus laſciuum animal, immò omnium laſciuiſsimum in noſtris phyſiognomonicis pronunciamus, cuius efferatam libidinem diximus: ſunt enim anguſta facie, artico ſine barba ſub mento dependente, cuius qui phyſiognomoniam imitantur, ad eoſdem mores proni erunt. Qui ſub Pleiadibus naſci dicuntur, comati, deraſi, fucacique vt mulieres, qui cum viri ſint, ſe viros eſſe poeniteat, de his ſatis, ſuperque diximus in noſtris libris de Phyſiognomonia, quos qui ſcire cupit. adeat loco de comatis, fucinis, & effoeminatis. Cephei imago ex Saturninis ſtellis concinnata eſt, hominemque melancholicum deſignant, ex quibus iſti Catones in mundo naſcuntur. Sed ſi ſydus in Occaſu inuentum fuerit, ideſt ſi viri iſti melancholici, ex atra illa, & peſsima melancholiae ſpecie erunt turbidae & foeculentae, omnium infoelicisſimi, et miſerrimi erunt. Caniculae martiales ſtellae ſunt, ob id temerarii, iniurioſi, maledicentes, inuidi, & violenti, imitanturq; caninos mores, vt ex voce ad latratum vergente fit manifeſtum, & de iis non latius alibi, Denique qui terremota naſcuntur, tremebundi ſunt in vita, quòd videtur ex vtendi Phyſiognomonia recte deſumptum, mulieres enim grauidae, ſi ex deſiderio alicuius rei (vt dicunt) imprimunt notas puerorum molliſculis corporibus, quid cenſendum in ipſo terremotu,

in

in quo non mulierum animus, sed fortißimi cuiusq; trepidant: vt imprimere poßit animo nati metum, horruem, trepidationem suam in molliculis nati membris & voce, itaque isti ex syderibus, nos ex ipsa naturali causa etiam decernimus.

Sol per duodecim zodiaci signa quos mores & formam largiatur.

CAPVT XXIII.

SOl in prima Arietis facie, subruffos facit, & simos, ventre exili, & angusto, macilentos, atque signatos in pede sinistro, vel cubito. amicos habebit plurimos ordientes malum, & persequentes quod optimum est. Hali. Sol in omnibus partibus Arietis, alios facit viles, deprimit dominos, et potentiam habet in victoriis. In secunda facie facit nigros, quae nigredo non in vitium reputatur, sed in venustatem, & maximam ciuilitatem, erit temperatae qualitatis, iracundi, suspiciosi, fraudulenti, cordati, septi pluribus inimicis, qui eos venantur ad mortem. In tertia facie interdum ruffos, croceo permixtos colore, solitarios meditantes insidias frequenter & fraudes.

Hali. Sol in omnibus partibus Tauri, est Rex habens voluntatem interficiendi, praelio vircendi, faciendi thesauros propter Venerem, cuius domus est Taurus, & conquirendi. Alii. In prima facie facit nanum, & praegrandibus aliquando oculis, labionem, signatum in ceruicibus, verum festinum admodum, & in deliciis semper occupatum. In secunda facie lasciuum, libidinosum, sed non vsque adeo, vt in prima signi facie vagabundum, atque mutabilem. In tertia facie frigidiorem complexionem propter Saturnum, qui hanc vltimam faciem poßidet, patietur aurium, ventris ac crurum dolores.

Hali in omnibus partibus Geminorum est Rex infirmi spiritus, paruae potentiae, regit se ad voluntatem suam, & ad delectatio-

nem, & facit res, quae vilem reddunt, & deprimunt ipsum. Alii. In prima facie Geminorum erit moderatae staturae, corpore pulchro membris omnibus bene compositis, signatum in capite vel genibus mansuetum etiam laboriosum, & à mulieribus deformatum, ac communiter sterilem. In secunda facie minuit staturam, addit nigredinem, signat in cubito, in genitalibus, & quod in aliis diminutum videtur, in eloquentia reputatur. In tertia decrescere faciunt nati probitatem, & debitam membrorum proportionem faciunt insensatum, & nugarum disseminatorem.

In omnibus partibus Cancri Sol, ex Hali, est dominus, qui diligit cantiones, iocos, ludos, romantios, & fabulas lympidatas, separationem, & vitationem hominum. Alii. In prima Cancri facie facit corpore & pilis decentem, strictis superciliis, eruditi ingenii, signatum in brachio dextro, & cruribus. Praeterea propentionem influit bonam, amicorum copiam. In secunda, ruffo capillitio, breui statura, imberbem, signatum in oculis. In tertia crassum, hebetem, pilosi supercilii, pruriginosum, facie quasi insufflata.

Hali inquit. Sol in omnibus panibus Leonis, est Rex ostendens arma sua, enses euaginatos, ordinans suos equos, & suas militias ad vincendum, & impugnandum Reges, & vicinos suos. Alii. Sol in prima facie Leonis facit corpore venustos, rubicundos colore, modico permixto albore, oculis variegatis, corpore recto, pedibus autem morbidis, praecipue in senio, fama & egregiis factis agnitum pluribus, simplicem, dilectum ab Regibus, & Principibus terrae. In secunda facie pectore lato, testiculis & membris genitalibus cordatum & honorabilem. In tertia facie staturam breuem colore roseo, permixto etiam albore, obnoxium etiam multis aegritudinibus, scortatorem, & mulierum amatorem.

Sol in omnibus partibus Virginis, ex Hali, est Rex qui diligit iocularias cantilenas, stare tacitus, & eius voluntas in comedendo, & bibendo, in rebus odoriferis quiescendo, & in omnibus vitiis corporis. Alii. In prima facie facit natum decentis stature, corpore procero,

cero, facie pulchra, sciolum, acutum, prudentem, crispo capillitio. comatulum, arguta, & sonora voce, multarum artium peritum, sed infortunatum in procreandis liberis. In secunda similiter facie venusta, paruis oculis, pulchro naso, doctum, probum, integrum, & laudis cupidissimum. In tertia facie simplicem, pulchrum, docilem, sensatum, prudentem.

Hali. In omnibus Librae partibus Sol est Rex, qui tristis fuit, & etiam sublatum est regnum suum, & interfectae legiones suae, & vadit fugiendo de vno loco in alium, qui magnum timorem habet corpus perdendi. Alii. In prima facie Librae facit natum facie pulchrum, simplicem, laboriosum, modestum, sauciandum aliquando in capite. In secunda similiter facie pulchra, sed oculis interdum lippis, nam vitium aliquod illis inerit. In tertia honorabilem, obseruandum, pulchrum in extremo verò nullius, vel cuiusq; sexus, caueat ne toxicum quippiam accipiat.

Hali. Sol in omnibus partibus Scorpii est homo elatus, magnae formositatis, completi corporis & lympidi, pulchrarum vestium, incessus compositi, & qui valdè timetur. Maternus. Sol si in Scorpione fuerit inuentus, quicunque sic eum habuerint, homines erunt formosi, completi corporis, & ornati, magni nominis, & famae, & qui ornatis vestibus delectentur. Erunt quoque tales, qui honorem, atq; existimationem à Regibus consequantur, haereditates plurimas acquirunt, & patrimonium augeant, vnde ab aliis timentur. Alii. In prima Scorpionis facie facit difformem, in capite, vel scapulis signatum, vel sinistro pede, in brachio, pectore amplo, proferendis salibus lepidum, sobrium, & discretum. In secunda, capite magno, multiloquum, signatum in genubus, vel tergo. In tertia, statura pusillum, commotis oculis, comedonem, & scortatorem.

Hali. Sol in omnibus partibus Sagittarii est Rex potens, malefactor, malum facit hominibus, spoliat, & aufert sine iure, interficit homines absque ratione, destruit, & depopulatur loca celebria.

Alii.

Alii. Sol in prima parte Sagittarii facit prouectae staturae, aulicum, studiosum bonarum artium. In secunda facie, decenti aspectu, pulchro, croceoque, superciliis conspersis, signatum in pectore. In tertia facie, procerum, pulchrum, lato & patenti corpore, signatum in pectore & pede.

Hali. In omnibus pvrtibus Capricorni est Rex magnae famae, magni nominis, & boni, & remouet malos homines, castigat, & punit malefacta, & prohibet ne potentes malum faciant debilibus, & plebi. Alii. Sole existente in Capricorno, nati physiognomonia erit. Caput paruum, oculi compressi, & moderata loquela. Sed qui solum Capricornum habent, erunt iucundi, leues, & vilibus se associabunt personis, suspiciosi, laboriosi, variis litigiis deducti, & erunt cordati, deperibit puellas pauperculas, & simplices, quae eum in aegritudinem deducent, erit mediocriter diues, beneuolus, alacer, facetus, instabilis, in senecta augebit, & accumulabit diuitias, prosperabitur in nauigationiaus ad Orientem. Alii. In prima facie Capricorni. Pectore aliquando albo, tenerum, statura competenti, sed aliquantulum nigra, signatum notula in cubito, vel pectore, astutum. In secunda facie pulchrum, signatum brachio sinistro, si natiuitas nocturna, malitiosum, naribus praelongis, ingenio acuto. In tertia. Corpore venusto, facie citrina, signatum in brachio, vel genu, iracundum, amabilem, amatorem mulierum.

Hali. In omnibus partibus Aquarii est Rex famae, & nominis pauci, paucorum seruorum, facit res suas ipse, & est potens supra gentem suam, & fortis mandati, & pluris se aestimat, quàm valeat, Alii. In prima facie Aquarii facit hominem facie formosum, signatum pectore, vel sinistro pede, benignum, affabilem, tractabilem apud homines. In secunda, oblongum, facie rubrum, signatum in tergo, vel cubito, tribulationibus variis obnoxium. In tertia, statura breui, vultu roseo, signatum sub cubito, amatorem mulierum. Qui enim in postremo gradu natus fuerit, tunc non solum in proportione corporis, sed in omnibus eius actibus caeteris faciet disconuenientem.

Sol in omnibus partibus Piscis, est dominus iocorum, iocularíae, risus, pigritiae, stande in quiete, sequendi voluntates suas, sequendi, & adiungendi se rebus, quae sibi malum videntur, & rebus, de quibus accidit male sibi, ac timor, & est multorum morum, & malarum naturarum. Alii existente Sole in Piscibus, signum habebit in cubito, vel in pede, fortuna illius erit in Meridiem. Alii. In prima facie piscis facit corpore mollem, album pectore albo, barbitio decenti, pulchra facie, clara voce, oculis patentibus, ac pulchris, carnosum atque honestum. In secunda, statura breui, aequali, nigra barba, parum hirsutum agilem, leuem. In tertia facie, & membris omnibus decorum, venustum, dat et vocis clangorem.

Luna per zodiacum signa, quos mores & formas largiatur.

CAPVT XXIIII.



HAli. Luna in omnibus partibus Arietis est Rex magnus, famae, et potentiae magnae, formosus, et completus corpore, et aspectus compositi et timetur. Maternus. Luna in Ariete inuenta, quicunque eam sic habuerint. Reges erunt aut Principes, diuites, opulenti, magnae famae, summaeque potentiae, formosi, venusti, membrisque, ac toto corpore completi. fates, audaces, ab omnibus formidati, eruntque tales, qui suo ingenio multa conquirant honorum insignia, etiam ex humili loco ad altum ascendant conditionis gradum.

In omnibus partibus Tauri est Rex ampli regni, bene compositus negotia sua aequalia, et bene composita sunt, dilectus ab hominibus, et populo suo completus, et quadratus, et diligit quietes, et hilaritates. Maternus. Si Luna in Tauro inuenta fuerit, qui cum sit eam habuerit, erunt venusti aspectus morumque compositorum, et qui negotia sua modesto quodam consilio ad finem vsque producant, tranquilli, et quieti, alachres, bonae complexionis, et

qui

qui à populo maximè diligantur, nobiles similiter & principes erũt, ampli nominis, multaeque famae.

In omnibus Geminorum partibus Luna est pauper, & miser, membris debilis, sua negotia mala, & malè composita sunt, malarum vestium, malarum qualitatum in suo corpore, & victu. Maternus. Luna in Geminis si fuerit inuenta, quicunque sic eam habuerint, erunt foedi aspectus, corpore vitiati, pauperes, miseri, & infoelices, resque suas, atque negotia, sine vllo consilio, vel moderatione tractantes, vnde sibi dedecus pariant, & mala saepenumero detrimenta facultatum. Erunt hi quoque viles, abiecti, rusticorum morum, foedi, sordidèque vestitus, angusti victus, & in omnibus penitus despecti, sed boni tamen sensus, acuti ingenii, & ad omnia satis, si voluerint, acta satis industrii.

Luna in omnibus partibus Cancri est Rex magnae amplitudinis, alti gradus, ampli regni, dominus potentiae praecipiendi, ac prohibendi, boni aspectus, honestus, pulcher, magnae staturae, timetur, & habet dominium. Maternus. In Cancro Luna si fuerit inuenta, quicunque eam sic habuerint, erunt pulchri aspectus, venustae faciei, proceri corporis, & amabilis, & cum quadam beneuolentia metuendi, erunt Reges & principes, altique nominis, bonae famae, elati gradus, & amplae dignitatis, potentes, diuites, locupletes, & quibus multi libenter obediant.

Luna in omnibus partibus Leonis est rex nobilis, coronatus, vilipendunt eum gentes, & populi sibi praecipiunt, & prohibent in regno, & faciunt quod volunt sine eo, & absque mandato suo.

Luna in omnibgs partibus Virginis est tristis, multarum cogitationum, & anxietatum, pannos habet fractos, & seruit hominibus, dicendo romantios & fabulas, & mala impedimenta sibi conciliat. Maternus. Quicunq; ortum in Virgine habuerint erunt homines tristes, solliciti, anxii, multarum cogitationum, variique discursus, quaerentes quo pacto sibi possint vitae alimenta componere. Erunt tamen boni intellectus, acuti ingenii, & multarum ar-

tium

tium exercitatione compositi, sed ob malam fortunam testium semper laceratione deformes, atque cantibus, & fabulationibus suis multum deseruientes, vt victum inde sibi queritare possint.

Luna in omnibus partibus Capricorni est nobilis, altus, magnae laudis, nominis, & bonae famae, formosus, compositae staturae, bonarum vestium & lympidus. Maternus. Luna in Capricorno si fuerit inuenta. Erunt formosi, venusti, decori, ac in omnibris ex toto corpore delectabili quadam proportione compositi, ornactis vestibus, delectatoque apparatu gaudentes, eaq; de causa a multis dilecti, a plerisque etiam venerati, nobiles erunt, diuites, & potentes, alti nominis, magnaeque existimationis, & famae.

Luna in omnibus partibus Piscis, est similis seruo, & vili in habitu & vestibus suis, diligit venari, gaudere, ludere, ludis nihil sibi profuturis, stare quietus, & non cogitare de aliquo negotio suo. Maternus. Quicunque Lunam sic habuerint, erunt humiles, abiecti, pauperes, despecti, vestibus, & pannis obsiti, ac penitus seruis similes, ociosi, inertes, nullarum cogitationum, venatores, aucupes, & lusores, & qui huiusmodi semper voluptatibus impliciti.

Saturnus per zodiaci signa, quam formam & mores largiatur.

CAPVT XXV.

EX Hali. Saturnus in prima facie Tauri, est effoeminatus in suis factis, iacet cum iuuenibus, & paruis pueris, & etiam cum puellis. In aliis ambabus faciebus est senex, membris debilis, mutilus corpore, fessus, damnatae fortitudinis, & voces emittit in dolo super seipsum.

Saturnus in toto Cancro est turpissimi vultus, & mirabilis creatura formae, & visionem suam ita expauescent, & mirabuntur de figura eius quotquot eum videbunt, & audient loqui de eo. Maternus. Quod si in Cancro Saturnus positus fuerit, aut secum

Luna, aut etiam forti radiatione respexerit, filios denegabit, eruntque aliquo colorum foeditate deformes, nigri quoque, & fellis abundantia colorati, à nigro felle assidua contrahentes incommoda. In aegritudinibus sanè disperabitur, ac post aegritudinem difficile conualescent, erunt tamen animo simplices, humani, misericordes, alienas angustias subleuantes, aliena quoque patrimonia suscipientes, atque ex his habentes vitae subsidia. Erunt alienorum filiorum patres, absconsa vitia habentes, ac tali erunt praediti dignitate, vt etiam fratrum suorum domini esse videantur, erunt locupletes, pecuniosi.

Saturnus item in facie Scorpionis est mirabilis creatura foeda, multi mali, multarum rixarum, similis videtur viro, qui a Rasi, & Auicenna describitur, facies foeda, color cum quadam obscuritate rubeus, cutis faciei sicca, ac totius corporis iugosa macies, cacies capillorum nigredinis leuitas, atque hic pessimorum morum erit. Auicenna, de contraria corporis compositione, & dissimili, & esse malo ingenio, intellectuq;, vt in nostris physiognomon. De fatuo improbo.

Saturnus in omnibus faciebus Sagittarii est magnus, fessus, incompositus, vel multis membris, spinae curuae, vel apertae, paupertatis, & miseriae manifestae.

Iuppiter per zodiaci signa quos mores, & formas det.

CAPVT XXVI.

IVppiter in secunda facie Tauri, est obcoecatus, debilibus membris, stricti colli, curuae spinae, malae qualitatis, paupertatis apertae, & est vilis. In prima Aquarii est venator, de bonis & pulchris pannis vestitus, formosus, compositus, lympidus & timetur. In tertia facie sicut prima. Maternus. Si Iuppiter in Aquario fuerit inuentus, homines venatores erunt, formosi tamen,

bene

bene compositi, & qui pulcherrimis, lautisq; vestimentis delectentur, ob eamque causam à plerisq; metuantur, & diligantur. Erunt gulones, bibones, & qui posthabita omnis rei familiaris cura nil aliud affectent, nisi Epicureorum more, sine laboribus quiete, & rerum vbertate viuere.

Mars in zodiaci signis, quos mores & formas largiatur.

CAPVT XXIVI.



Ali. Mars in tertia facie Tauri, est formae mirabiliter turpis, abhominabilis vultus, iocatores diligit, hilaritates, cantiones & vitia. Maternus. Si Mars in Tauro fuerit inuentus, erit homo turpissimi, foedissimique aspectus, iocisque, ioculationibus continue deditus, etiam edax, temerarius, obliguritor, hacque de causa infoelicitate plurima defaticabitur.

Mars in facie tertia Geminorum, est vilis, pauper, defectiuus, pauperibus seruit, & habentibus membra debilia, & petentibus elemosinam. Maternus. Si Mars in Geminis fuerit inuentus, cum primum geniturae loca Saturnus pertransierit, pauperes effecti, & fortasse corpore vitiati, nec necessaria vitae poterunt subsidia sufficienti animo parare.

In secunda facie Cancri Mars, est homo inhonesti vultus, mirabilis figurae, mirantur homines, & rident eum. Maternus. Mars in Cancro si fuerit inuentus, quicunque sic eum habuerint, erunt foedissimi aspectus, mirabilis formae, & quos primum omnes irrideant. Erunt equites, & qui balistarum, tormentorumque iaculationibus delectentur, equos nutrient, & beluas ad militiam pertinentes, erunt quoque milites, & militaribus negotiis impediti, vnde sibi honorem quandoque, & caeterorum militum timorem acquirant.

En Attile effigies.



Fuit Athila inhumano lucidoque pallore, ac efferi oris monstruoso ductu, torua oculorum nictatione terribilis, ac tota forma saeuitiem spirans, vt terrifico nomine Dei flagellũ appellaretur, fuit sui saeculi funesta clades, vrbiumque portentosus euastator vt ad humani generis excidium non alio lictore opus esset, ad immortalem potentiae, & saeuitiae gloriam superuectus est, tamen sanguine per nares erupto, coniugale totum foedauit, & suo sanguine strangulatur interiit.

Mars in secunda facie Leonis, apparet tristis, anxius, & doloribus plenus, percutit caput, propria manu dilaceret barbam suam.

Ma-



Maternus. Quicunque Martem in Leonem habuerint, erunt homines potentes, audaces, fortes, & qui equeſtri praeapte iaculatione delectentur, facie triſtes erunt, ſolliciti, & multum cogitabundi, & qui ſaepius aliquo dolore perculſi, & caput plangant, & pectora pugnis obtundant, ac perplexi barbam manibus ſuis cogitationibus permulceant.

Fuit & Diomedes, vt Dares narrat, auſtero vultu, ſed corpore honeſto, quadrato, iracundus, bellax, audax, clamoſus, viuidus & impaciciens. Nepos.

Voce ferox, animo præceps, feruente cerebro,
Ardentique ira calidus, quadratus in artus,
Tytides plenis meretur tidea factis
Sic animo, ſic ore fero, ſic fulminat armis:

Hali. Mars in prima facie Virginis, eſt turpis aſpectus, moeſti vultus, diu ſeruant iram. In ſecunda & tertia facie eſt caecus, debilium membrorum, mali negotii, ſemper defectiuus, vilis & ſenex. Maternus. Quicunque Martem in Virgine habuerint, homines erunt turpiſsimi, foediſsimique aſpectus, grauiſsimae iracundiae, ſed eā intra pectus ſuū diutiſsime continentes, & qui audaci ſemper animo in res quaſcunq; ab aliis intentatas ferantur. Sed cū ad ſecundum geniturae trigonum Saturnus peruenerit, ad coecitatem fortaſſe, & membrorum laeſionem aliquam deuenient, erunt quoque pauperes, obſcuri, maliſque negotiis impediti, & qui vix ſibi neceſſaria vitae poſsint alimenta ſubminiſtrare.

Mars in prima & ſecunda facie Librae, emittet baliſtam, tenet arma, timetur, & eſt bonae exiſtimationis & honeſtus. In tertia facie iocationes, hilaritates diligit, cantiones, quietem, comedere, & bibere. Mars ſi fuerit inuentus in Libra, homines erunt boni aſpectus, pulchrae formae, deliciis dediti, & qui armis praecipue delectentur, atque equeſtri iaculatione laborent, ſed cum ad alterum geniturae trigonum Saturnus deuenerit, tunc iocoſis conuiuiis, laeuique ſodalitiis verſabuntur, tunc ioculationes, cantuſque exercebunt,

cebunt,

cebunt, tranquillo vitae genere foelicissimo perfruentes.

Mars in tertia facie Sagittarii erit effoeminatus & derisor, assimilatur mulieribus in debilitate, pigritia, & loquela, vestibus, & se comando. Maternus. Si Mars in Sagittario fuerit inuentus, homines erunt molles, effoeminati, ac in actibus suis plurimum pigri, & inertes, vocis quidem foemineae, debiles quoque, ac muliebri apparatu gaudentes. Sed cum Saturnus primum geniturae trigonum transierit, erunt audaces, fortes, magnanimi, & in magnis negotiis occupati, & qui viribus, & magnanimitate sua facile ab omnibus timentur.

De forma & viribus Veneris in signis zodiaci.

CAPVT XXVIII.

HAli. Venus in omnibus partibus Arietis est defectiua, tristis, doloribus plena, anxia, pauper, defectiua eueniunt ei impedimenta, & occasiones, grauamina, & cogitatus. Maternus. Venus si in Ariete fuerit inuenta, erunt homines tristes, solitarii, anxii, vitiati corpore, & animo pauperes, & mendici, & quibus plurima noceant diuersarum calamitatum impedimenta. Erunt hi quoque multae cogitationis, & varii discursus.

Si Venus in Geminis fuerit inuenta, ex Materno. *Erunt formoso, delectabiliq; aspectu, omnibus maxime grati, homines erunt boni, bonamque in omnes voluntatem habentes, & qui maximo quodam pietatis ardore omnibus hominibus & pauperibus, praecipue & afflictis subuenire conetur, erunt quoque sapientes, astuti, ingeniosi, facundi.*

Hali. Venus in omnibus partibus Leonis est debilis membris, pauper, defectiua, malorum, & diuersae formae, ac naturae. Maternus. Quicunque sic eam habuerint, erunt pauperes, negletti, corpore vitiati, diuersae, variaeque naturae, & qui diuersa, vt plurimum for-

fortuna constituti, crebris saepius laboribus fatigentur.

Venus in omnibus partibus Virginis, est doloribus plena, anxia, tristis debilium membrorum, assotiatur pauperibus, egentibus, ac habentibus membra infirma. Maternus. Homines erunt semper tristes, anxii, folliciti, luctuosi, & qui corpore & animo vitiati, egenis, vt plurimum, et infirmis hominibus socientur.

Venus in omnibus partibus Capricorni, diligit iocationes, bibere, inebriari, canere, res formosas, societatem, et est bonae staturae. Maternus. Si Venus in Capricorno fuerit inuenta, homines erunt honesti, placidi, alacbres, ioculatorum, cantuum, sodalitatumque amatores, bonae staturae, pulchri aspectus, et qui conuiuiis potissimum delectentur, resque formosas, et ornatas ament.

De forma & moribus Mercurij per aliqua zodiaci signa.

CAPVT XXIX.

MErcurius in omnibus partibus Scorpionis est pulcher, compositus & bonae formae, timetur, & est pulchrarum vestium, boni equitatus, ornatus & splendidus. Maternus. Mercurius si in Scorpione fuerit inuentus, homines erunt satis pulchri, ac venusti, bene compositi, bonae apparentiae, & qui ornatis vestibus delectentur, bene morati, honesti, & liberales, & qui praecipue timeantur à multis, & assiduis gaudeant equitationibus.

Mercurius in omnibus partibus Piscium, est pulcher, acutus, intelligens, ornatae formae, formosarum vestium, corpore completus, & membris, honestus, honoratus, & fortis. Maternus. Si Mer*curius in Piscibus fuerit inuentus, homines erunt pulcbri, acuti, intelligentes, legum, iudiciorumque aequissimi cultores, venusti aspectus, corpore, membrisque bene compositi, ornatis vestimentis plurimum gaudentes, facundi, diserti, in multis scientiis eruditi, hac*

de causa ab omnibus honorati, à quibus multa conquirant subsidia facultatum.

Mercurius in Capricorno est pauper, diminutus, fatigatus, infirmus, debilis membris. Maternus. Venus si in Capricorno fuerit inuenta, pauperes erunt, ignobiles, omnibus facultatibus denudati, valetudinarii, membris vitiati, ac longis laboribus, vitaeque impedimentis continuè fatigati.

Finis Libri Quarti.

IOAN. BAPTISTAE PORTAE NEAPOLIT. COELESTIS PHYSIOGNOMONIAE

LIBER QVINTVS.

PROOEMIVM.

IAM ad maculas deuentum est, quæ in variis corporum partibus reperiuntur, vultu, pectore, manibus, pedibus, dentibus, vngulis & oculis. Opiniones Astrologorum recensebimus, refutabimus, inde ad Physicas rationes accingemur. Veteres Astrologi has maculas secundas stellas vocabant, à superioribus impressas, præmonstrantes, qua ratione, prudentiaque reprimi queant, nulla tamen iniuncta nostris moribus necessitate, sed lubentia potius quadam & procliuitate ex sanguine & spiritibus physicis. Eximiæ dicunt esse gloriæ, potentiæ, & fælicitatis signa. Suetonius de Augusto memorat, fuisse corpore maculoso, dispersis per pectus, atque aluum genitiuis notis in modum & ordinem, ac numerum stellarum cœlestis vrsæ. Seleuci anulus fuit, in quo anchora effecta visebatur, cuius imago in fœmore posteris familiæ, natiua apparuit, sicut Thebis habere lanceam, genitiuis notis Satorum nomini, & familiæ datum erat. Inter quos fertur brachio Dacorum notam originis quarto quoque partu regenerari. Et Barletius in vita Scandebergi in dextro brachio ensis formam impressam esse, vt manu facta videretur, pulchrum, clarumque bellici decoris signum. O insignem naturæ liberalitatem, vel nascentibus nobis subiicit documenta,

& in corpore ipso figit insignia, quæ post modum sint sequenda. Sed oportet, quæ syderum constellationibus assimilantur, macularum numerum stellis respondere, quæ cum euidentia, pulchra, & absoluta fuerint, magnam non interruptam cum fælici exitu gloriam significabunt, sed si exigua sint vestigia, eò minorem, si non pulchra, quandam fortunæ inæqualitatem, aduersaque multa, & non successibus parem significabunt, ac secundum corporis partes euidentiores habent effectus. In pectore primo, secundo in ventre, vt Augusto, dein dorso, vt in Scanderbergo, quarto in brachio, in manibus, & in pedibus. Considerandum præterea si in dextra, vel sinistra hominis parte, in dextro enim fœlicitatem, in sinistro infælicitatem. Solinus de caninis dentibus loquens ait, si Gemini procedunt à dextra parte, fortunæ blandimenta promittant, quibus ab læua, versa vice.

De maculis Astrologorum & Phylosophorum sententiæ.

CAPVT PRIMVM.



Pparent saepissime in humano corpore quamplurimae maculae omnium generum quantitatis & formae, & coloris, quippè maximae, minimae & mediocres, minimas neuos vocat, sed maiores medici ex humorum peruersitate prouenire, videlicet ex phlegmate albas, ex atra bile nigras. Nos primum Astrologorum placita recensebimus. Inquiunt enim, ex ascendentium signorum qualitatibus, & ex planetis in eis dominantibus, ac ea loca signantibus, quibus dominantur. Humanum corpus in duodenas diuidunt partes, secundum signorum numerum, & sic singula signa singulas partes retinent. Caput in signo Arietis est, ceruix in Tauro, humeri in Geminis.

Cor

Cor in Cancro, pectus & stomachus in Leone, venter in Virgine, renes & vertebrae in Libra, natura in Scorpione, foemora in Sagittario, genicula in Capricorno, tibiae in Aquario, pedes in Piscibus, & sic per haec signa vniuersa humana membra diuiduntur, & sic de moribus, & de futuris euentibus certiori fide nos admonebunt. nam vbi planetae in his signis in natalitio reperiuntur, haec loca signant, maculis, neuis, vel cicatricibus & planetarum coloribus. Ex his duodecim signis Sol & Luna singula signa sortiti sunt, caeteri verò quinque planetae bina, in quibus imperium & domicilium constituta habent. Sol in Leone suum habet domicilium, & potestatem. Luna in Cancro, Saturnus in Capricorno & Aquario sui imperii maiestatem exercet, Iuppiter in Sagittario & Piscibus, Mars in Ariete & Scorpione, Venus in Tauro & Libra, Mercurius in Virgine & Geminis. Denique Martem rubra signare macula, Saturnum nigra, Solem crocea, Venerem rosea, Iouem & Lunam alba. Mercurium varia dat etiam. Luna corpus candidum, multarum variatum macularum. Sed res se aliter habet, nam maculae non ex planetis, vel ex signis, sed ex humoribus proueniunt, quippe non Saturnus, sed ara bilis atras profert maculas, & bilis croceas, sanguis roseas, & pituita albas, & ex humorũ mixturis variae exoriuntur, non ex Mercurio. Ex calefacto sanguine ruffae vel flammeae, non ex Marte, & ex variis bilis generibus variae nascuntur, ex porracea virides, & ex flaua flauescentes, quae in mulierum corporibus facilius percipiuntur, cum cãdidius, ac delicacius corpus habeant. Et hi humores ea praecipuè inficiunt loca, vbi residere solent, albae plerumque in facie, vbi ex cerebro deueniant, nigrae in pectore, vbi lien, sanguineae in aluo, vbi iecur, & croceae per totum corpus, vt arquati, & in costis, vbi vesica residet fellea. Sunt & eiusmodi maculae in caeteris animalibus, etiam perpetua bonitatis & vitiorum testimonia.

Medicorum opiniones de prægnantium maculis.

CAPVT II.

EA siquidem est imaginariae facultatis vis, & potestas, vt vbi mulier fixius quid intueatur in conceptu, vel praegnans aliquid impensius exoptet, in tenello infanti corpore varias rerum formas, quasi sigilla, imprimit, ve luti neuos, lituras, verrucasque, quae non facile elui possint, ac emaculari. Plerunque ex leporum obtutu infantes edunt cum bifido superiori labello. Simile quoddam in reliquis animantibus elaborare solent naturae artifices, obiectis sub ipso conceptus momento variarum rerum coloribus. Quo stratagemmate vsus est Iacob, passim stratis, obiectisque virgulis, quibus cortices ademerat, maximam gregis partem, cum se inirent, maculoso tegmine, ac versicolore vellere praestitit, sic picturatas alites, sic canes, scutulatos equos, ac signatos perfecimus. Plinius. Comprachensae, haustaeque sub ipso conceptu imegines, tum subito oborta cuiusque rei cogitatio effingere similitudinem, formasque miscere credatur, ideoque plures in homine, quàm in caeteris animalibus, differentiae, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenii varietas multiformes notas imprimit, cum caeteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulisque in suo cuique genere. Sic etiam videmus Syluestris suis carnem cum suis pilis in facie puerorum, rubras vini maculas, ac mori arboris fructus, & eiusmodi sexcenta alia, sed haec non ex imaginatione mulierum fixa, aut eius spiritibus omni conatu in cogitationibus conuersis. Sed id alia de causa euenire putandum est, quippe ex redundantibus in corpore humoribus animalibus illis similibus, sic porcinam similitudinem in vultu referunt, & corpore: & Physiognomones ex eorum animalium vultus similitudine mores praesagiant. Cum enim leporini humores, aut suilli, in corpore redundant (diximus enim

in humana Physiogn. ex Aristotele, quod in homine sunt omnium animalium mores, sic etiam & humores, per mores & similitudines illas faciunt) naturae impulsu, omni conamine facto, si praeualida sit, & robusta, vt proximius poterit, & citius expellere, vultu, pectore, manibus, aliisq; partibus eiicit. Et nos ex eiusmodi notis non parum lucis nacti sumus in cognoscendis hominum moribus, quippè qui in vini notas in corpore habent, ebrii, vinosiq; sunt, qui apri syluestres, & efferati, qui leporis, timidi, & sic de caeteris. Et quemadmodum de moribus multa coniiciuntur, sic etiã de futuris, vt suo loco dicemus. Nos saepius experti sumus, mulieres filios cum bifido labro, genuisse, quae nunquam leporem viderunt, & quae filias vinosa facie, quae vinum oderint: nec biberint, nec vnquam concupierint. Sed cognouimus certissime mores illis animalibus similes retinuisse.

Cur sinistræ partes dextris infæliciores.

CAPVT III.

IN *Astrologorum scholis sancitum est, Orientales partes foelices & fortunatas esse, ac dextris dominari: secus autem Occidentales partes foelices & fortunatas esse, ac dextris dominati: secus autem Occidentales, nam infoelices, ac infortunatas, ac sinistris praeesse. Ptolemaeus ait Solem dextrae corporis parti dominari, Lunam sinistrae. Alii dicunt Solem in viris dextrae parti praeesse, in mulieribus sinistrae, Lunam verò foeminis dextrae, viris sinistrae. Messahala. Quando Mars erit significator nati, & fuerit Orientalis, signabit natum in dextro pede, si fuerit Occidentalis in sinistro, & hoc nunquam fallere, quod & alii idem affirmant. Melampus de neuis scribens ait. Mas, vel foemina, quae à dextra corporis parte signa continet, foelices erunt, vnde & probi, & diuites, secus autem euenit laeua: nam calami-*

tatibus

tatibus omnibus obnoxii, & pauperes omnino reddentur. Sed hi falluntur, quod id stellis, non physicis rationibus ascribant. Dicunt enim Medici dextram hominis partem calidiorem esse, ob id robustiorem, vehementioremque esse: argumento mares in dextra uteri parte concipi, foeminas in sinistro, & dextras partes sinistris praepollere, vt superiores inferioribus, vt ex Hippocrate habetur. Et Galenus si dextra praegrandis mammilla grauescit, abortit mulier, sinistrum testiculum in maribus, & sinistram matricis partem frigidiorem esse, & sanguinem impurum, excrementosum, humidum, & setosum recipere, & si sanguis purus, calidior, dextrae partes sinistris calidiores. Supera pars inferiori calidior est, quia calor sursum euehitur, vt ex Aristotele in Problematibus habetur. Ex his habetur, quod dextra pars robustior est, & sua robustitate facile superfluitates expellit, sinistra verò minus: vnde quando vtraque pars excrementosos & corruptos humores foras expellit, maxima in corpore & copiosa inest materia, ob id semper animi moestitias, infirmitates, & noxia gignunt, & infoelicia praesagiunt. Sed animaduertendum in iis id verum esse, qui dextras partes communiter calidiores habent: nam sunt scaeuae, qui sinistras calidiores habent, & in his aliter se habebit iudicium. Sed sunt etiam ambidexteri qui vtraque manu aequaliter vtantur, & de his etiam aliter sentiendum.

Quid significet neuus in fronte.

CAPVT IIII.

HAli libro De astrorum iudiciis, docet ex signis facie apparentibus quomodo abscondita in corporis partibus reperiantur, inquit enim. Si videris in homine notam, vel neuum in fronte, aliam notam habet in pendili, cuius rationem naturalem in Physiogn. attulimus. Melampus verò Graecus de neuis scripsit, & quae bona vel mala praesagierint exponit

ponit

ponit Astrologorum opiniones hoc modo secutus. Neuus in fronte maris, dicit plurima bona possessurum, at in foeminae fronte positus, regnaturam, vel magnae potestatis futuram denotat. Sed quia haec signa bona portendunt, ideo in dextra corporis parte esse oportet, nam in laeua contrarium denotarent. Rationes ipse ex Astrologicis quaesiuit, vt supra diximus, qui neuum in fronte habuerit, aliũ in pectore habebit, non in pendili, vt dixit Hali. *Sed pectori praeest Cancer, cui Luna dominatur. Erit igitur locuples, bonae famae, alti gradus, & amplae dignitatis. Haec Maternus, à quo Melampus. Sed naturalis ratio ita se habet. Frigidae maculae ad ima tendunt: nam frigidi est ad ima descendere, ad nates, coxas, & suras, at quae ex calido eueniunt, in pectore, ac superiori corporis parte. Qui verò calidi cordis ac pectoris sunt, magnanimi sunt, fortes, viriles, nobiles, & optime morati, vnde non ab re erit, si eiusmodi homines, elati gradus, locupletes, & quamplurima bona in vita posidebunt.*

De neuis in aure, & fœmoribus, & quid portendant.

CAPVT V.

IDem quoque Melampus ait. Si neuus in aure maris apparebit, diues, ac celeberrimus fiet, eadem & foemina, quod neuo in foemore signata eadẽ sortietur. Idem quoque Melampus dum de foemore ageret, ait. Tale signum in foemore in vtroque sexu, diuitiarum exuberantiam denotabit, ipseq; rationes ab Astrologis deducere videtur: nam foemora Sagittarium posident, cui Iuppiter dominatur: & existens Iuppiter in Sagittario in sua domo, facit gloriosos, potentcs, nobiles, locupletes, copiosos, doctos, hilares, & humiles, & qui aliena patrimonia posideant. At si in sinistra parte erit, scilicet si infortunatus, vel Occidentalis, vel à Saturno, & Marte sauciatus eo loco constitutus, odiosos, turbatos,

tos, laboriosos, & quaecunque complere voluerit, prosperum non habebit effectum. Praeterea Astrologi quibuscunque corporis partibus planetas praeesse volunt. Ptolemaeus Saturnus posidere auditum dextrum, splenem, vesicam, & phlegma, Iouem tactum, pulmonem, costas, carthilagines, & sperma, Martem sinistrum auditum, renes, & testiculos, Venerem odoratum, epar, carnem, Mercurius locutionem, deliberationem, memoriam, linguam, fel, & nares, Lunam, gustum, deglutiuam, stomachum, ventrem, mulierum pudenda, & omnia sinistrae partis membra. Vnde quia auris dextra à Saturno possidetur, promittere libere potest sibi haereditatem, & diuitias ex nigro signo in aure dextra.

De neuo in supercilio, & in pectine, & extra supercilia.

CAPVT VI.

E*T Hali Abenragel ait. Si homini videris notam inter supercilium & palpebras, alteram notam habebit in vultu inferiori, & alteram inter vmbilicum & pendile, & hoc vaticinium ex astrologicis rationibus desumpsit: nam pectini praeest Scorpio, cui Mars dominatur, & Mars in Scorpione, vt ex Materno habetur, facit viros mulieribus deditos, vt omni posthabita pudoris honestate, & illis quandoque vim inferre conetur, & cum eis saepius irati lites exerceant, demonstrat enim mulierosum hominem, & quibus vim inferre conetur, etiam vsq; ad neuum, vnde multas ducturus vxores, & cum multis mulieribus tractabit, satis infoeliciter. Dares Phrygius narrat Helenam notam inter duo supercilia habuisse. Cornelius Nepos ita vertit.*

Sola supercilijs labes interflua raris
Audaci macula tenues discriminat artus.

Hinc antiquitus orta opinio existimatur, q̃ neuũ inter supercilia habuerit, male fuisse marito fida. Et vt ex Hali superius vidi-

mus, si extra supercilium fuerit, aut supra illa, aut infra, & palpebras, non in pectine, sed infra pecten & umbilicum. Macula, quia rubra Martis erit, idest sanguinis, & sanguinis notae, optimae, moderateque.

Quid neui in naso recti & obliqui, & abditis; & quid demonstrent.

CAPVT VII.

SI rutilus neuus in maris naso visitur, eum talem etiam in abditis habeat. In naso verò foeminae, siue in oculo conspectus, quod & ipsa illum in secretiori corporis parte contineat. Si marem vel foeminam in manibus neuum habentes videris, ille mares, foemina ab eo diuersum sexum progenerabit. Hali. Si aspexeris hominem, & inuenies in eo notam in nare, dic quod habet alium in virga virili, & alium in costis à parte sinistra, & aliũ in loco, vbi sunt capilli in pedili. Naturalis ratio eadem est, quam supra diximus, nam qui in luxuriae membris aliquo signo notatus, & praesertim ignei coloris, haud dubio procul luxuriosissimus erit. Sequitur Melampus. Si tale signum in maris naso ex obliquo constiterit, per vrbes hnic inde vagari demonstrat. In foemina ibidem positus, eam diuersa à pedibus passuram iudicium est, quoniam & in abditis naeuum habet. Causam ab Astrologis deducit, per neuum in naso obliquum intelligit, quando erit in sinistra parte, vel ad sinistram partem vergens, vnde Martem infortunatum indicat, & ob id infoelicitates portendit, mobiles homines peregrinos & quamplurima in itineribus passuros dicit, vt diximus in capite de Marte. Sed in foeminis peius erit: nam pedibus minatur, scilicet mala in pedibus, compodes, dolores, & eiusmodi similia, sed naturalis ratio est, quod complexio supra modum calida, quam Martiam diximus, homines mobiles, praecipitosos, instabiles,

furiosos, & peregrinos facit, & in continuis motionibus, & itineribus sunt, non nisi mala in pedibus patientur, & in sinistra hominis parte, deprauationis naturae signa diximus.

Neui in labijs quid portendant.

CAPVT VIII.

IN *labiis tam maris, quàm foeminae conspectus neuus, gulones, voracesque notat, ex Melampo. Diximus in Physiognomonicis, vt quì neuum in labiis haberent, alterum in testiculis habituros, & mulier in labiis vuluae, quibus Scorpio praest, cui Mars dominatur, & diximus millies Martem gulones & edaces facere, qui cum calidissimos procreet, multum cibum appetant, & concoquant, & hoc signum Melampus ab ab Astrologis accepit. Edaces calidi sunt, & caliditas superfluos humores eiicit per ea membra, quae exercet, videlicet per labia, gulam, & aluum. Et diximus qui in labiis signati sunt, & in testiculis, & vuluae labiis signa eadem habere. Sed quia labia sunt quoque loquelae instrumenta, quoscunque nobis viros videre licuit, tali nota praesignatos, videlicet nigra ex melancholico humore in labiis & lingua, omnes loquaces, oratores, facundos, concionatores, histriones, agirtas, & qui loquelis dant operam, eaque in re disertissimi fiunt.*



Ma-

Maculæ in dentibus quid significent.


CAPVT IX.


IVppiter genituræ dominus dat maculas in dentibus, & qui Iouem in aſcendente habuerit, vel eius genituræ dominus fuerit, erit diues, præpotens, officioſus, & eiuſmodi talia, vt multoties in hoc libro ex Materno replicauimus. Cardanus maculas in dentibus albas & nigras euenit dixit, quæ cum dentibus naſcuntur, & abolentur duodecim annorum ſpatio albæ & pituitæ redundantia, nigræ, ex melancholiæ.



Aſpice ſemiuiri figuram, in qua vtriuſque ſexus neuos valeas indicare, lineis à facie ad corporis partes reſpondentibus.

152





De ijs qui in mento & liene neuum habuerint.

CAPVT X.

SI neuum in mento mas habuerit, diues auri, argentiue efficietur, idem & de foemina putandum, eo quod ad lienis partem alterum continebit. Et paulo inferius Melampus. Si vterque in ea corporis parte, qua lien neuo affectus fuerit, valetudinarii vitam peraget. Et paulo post, Si vterque sub aluo signabitur, eosdem valetudinarios fore contendas. Is ex Astrologis rationem petiit: nam lieni praeest Saturnus, melancholiae dominus, & melancholia in splene residet. Saturnus infirmitates longas, vel chronicas largitur, & ob id semper valetudinarii. Sed naturalis causa est, quod quibus splen tumet, vel signatum nigra erit nota, ii melancholia semper abundabunt, & atrabiliarii morbi longaeui sunt, & nunquam desinentes, ob id valetudinarii. Ob eandem etiam rationem paulo inferius subdit. Qui in splene signati, valetudinarii. Sed prius, vbi dixerat. Qui in mento neuum habent, diuites erit, auri, & argenti: quod in liene alterum habeant, ne videantur haec dicta simul aduersari. Sciendum, quod qui in mento neuum habent, alterum non propè lien, sed sub pectore, paulo liene superius, circa cor, vbi leo residet, cui Sol praeest, qui auri diuitias pollicetur, & prope hunc locum pectus est, cui cancer praesidet, cuius domina Luna, ob id argenti diuitias praebere dixit: nam ex Astrologis habetur, Sol aurum, Luna argentum pollicetur, nam insignia coeli luminaria, insignibus terrae metallis praesident, si Ptolemaeo credimus. Lieni Saturnus praesidet, qui etiam diuitias ex haereditate pollicetur.

Neuus in maxilla inferiori, & hipogastrio quid significet.

CAPVT XI.

INquit Melampus. *Si mas neuum in gula obtinuerit, diues euadet : & foemina si illo in inferiori maxilla praedita fuerit, diues efficietur : eo quod illum, qua venter desinit, habet, scilicet in hipogastrio. Vbi animaduersione dignum neuum in maxilla inferiori, vel gula, non in eodem esse loco, nam gula intelligitur, vbi nodus prominet, & illa pars, vt diximus, respondet costis. Et Hali dicit. Cui videris neuum in gula, habebit alterum in costis partis dextrae. Sed sub maxilla, vel gula intelligitur pars in mento supposita, & qui talem habuerit, diuites, tam mulier, quàm homo futuri, & in superna gulae parte, in hypogastrio, vt rectè monet Melampus. In ventre enim paulo infra pectus Leo dominatur, cui Sol praeeminet, diuitiarum dator. Hoc autem dicimus, quod tali loco signati, magnanimi sunt, liberales valde, & optimatum amici, & iis diuitiae, vt saepius hoc opere meminimus, et nummi nunquam deerunt.*

Neuus in collo, & ventre quid portendat.

CAPVT XI.

SI in collo mas neuum possidebit, ditissimum indicat, & foeminam etiam eandem fortunam consecuturam. Collo praesidet Taurus cui dominatur Venus, & cui Taurus ascendit, & si sua bona in iuuentute prima amiserit, postea cum laetitia ea denuo cumulabit, & augebit, & habebit bonae foelicitatis ornatum, ex Materno. Sed ego non diuites, sed voraces dicerem: nam quibus locis neui foras expelluntur, in his potissimum robustitas & caliditas naturae augurarer, & qui calidam & robustam habent gulam, semper esurientes & edaces sunt.

sunt. Praeterea, vt in supeiori signo iam diximus, qui in gula, vel collo neuum habent, & alium in aluo, vel ventre habebunt, & qui in ventre habuerint, demonstrant ibi robustitatem & naturae caliditatem in concoquendo, & qui recte concoquunt, voraces sunt, & gulones. Ob id Melampus, In ventre, ait, tam maris, quàm foeminae neuus constitutus, voracem vtrumque, & gulonem designat. Et nos vniuerso hoc volumiue vidimus: quando Natura instrumenta corporis signat, ea signa ad suam operationem exercendam, & hominis qualitates designandum apposuisse.

Quid portendat neuus in humeris, & alis.

CAPVT XII.

ASTrologi humeros Geminis dant, et iis Mercurium, qui sagaces, pronos iurgiis et litibus implicitos facit, at si in sinistra parte peior erit. Dicunt enim à Saturno trigono radiati, dãna, detrimẽta, et calamitates significare. Sub alis, idest, circa pectus, vbi cancer, Lunae domus, quae pulchritudinem aspectus, et diuitias praebet, et famam cum beneuolentia. Et naturaliter pectus bene dispositum, mores, fortitudinem, et virtutem praebet, et eiusmodi hominibus diuitiae non desunt, nec locupletes vxores.

Maculæ in vnguibus quid præiudicent.

CAPVT XIII.

ET si in aliquibus videatur neuos in vnguibus obseruare nimis vitiosum, aut superstitiosum, nobis tamen aliter videtur, nil enim frustra agitur in naturae officina, et praesertim in maximo naturae miraculo homine, praesertim cum videantur aliquae albae, croceae, caeruleae, variarumque formarum, rotundae, angulares, lineares, et in variis vngui-

bus,

bus, tantoque tempore durant, quanto vngues crescunt, et reciduntur, sed videamus de iis, quae Astrologi dicant. Ipsi digitos Planetis ascribunt, & colores. Videlicet Veneri pollicem, indicem Ioui, Saturno medium, anularem Soli, Mercurio minimum. Alii maioris digiti pars, quae extra tumet, Marti & quae indicem respicit, Lunae. Colorem Saturno nigrum ascribunt, Lunae album, Marti rubeum, Soli croceum, Ioui & Veneri roseum. Sed haec futilia, & anilia sunt. Colores enim non à planetis, sed ab humoribus corporis pendent, vt saepius decantauimus, melancholiae nigrum, phlegmati album, sanguini roseum, flauae bili croceum, incensae album. Astrologi dicunt. Si macula in digiti vnguae Martis accidet, peregrinationem ostendit. Similes, cum gloria & vtilitate. Si nigra erit, noxia demonstrat, lites, rixas. Si Veneris alba, munera, & victorias ex ludo, at si nigra, luctus, fastidia. Si index albas ostendit maculas, lucra, vtilitates, nummos, inopinatas vtilitates, at si nigras, bonorum amissionem, infoelicem fortunam, & similia. Pars altera medii digiti, quae haeret indici, Saturnus datur, altera Lunae. Si in Saturni parte macula erit alba, haereditates possidebit, donationes, aedificia, si nigra, iustitias, & melancholicas passiones & erumnas. Si in alia parte erit macula alba, vtilitatem, honorem, negotia aliena, itinera. Si nigra, quae diximus in Luna demonstrabit. Si in vngue anularis punctus albus conspicietur, rotundus & clarus, dignitates demonstrat, bonorum augmentum, honorum, & boni nominis, & si minor punctus, minores dignitates, sed si niger erumnas, ex indice honores, & similia.

Si in minimo punctus albus, ostendet merces, scribas, senatus, si niger, afflictiones, & eiusmodi res. At si lineae albae erunt, demonstrant vitae mutationes, secundum planetarum significationes. Si autem virides, manifestas, si obscurae, obscuras, si magnae magnas, & si paruae paruas. In dextra magnis parte ex industria, in sinistra ex fottuna.

digiti quomodo planetis ascribantur.

colores et humores

Quando exierit macula ab vngue, incipit effectus, quando autem in medio, erit in augmento, & sic de fine. Sed haec ridicula sunt, & quae ex astris isti euenire contendunt, physica ratione oriuntur. Sunt enim excrementa cordis: est enim cor validissimum viscus: quod à se noxia omnia propellit, sed minus nobilia membra cum conatu, & minus visibiles: quae in vnguibus eueniunt, maxime visibiles, quia transpvrentes, vnde in his, & oculis facilius obseruantur. Vnde quando ex aliquo intenso, & vehementissimo timore, labore, maestitia cor, nobilissimum membrum obsidetur, sua pellit robustitate. Si atrabiliaris humor, nigras maculas eiicit, & caetera, sed praecipue in anulari, ibi enim ex corde venae sunt, ex hoc Medicorum iussu aurei anuli in eo gestantur digito, vt cor laetificetur, vnde prius aduersa, postea maculae ostenduntur, sed ob obseruantium imperitiam non animaduertuntur: nam maculas videndo, suarum erumnarum meminerint praesentium, & futurarum. Sed ego ex paterna haereditate cum aduersa aliqua, & maxime melancholica paterer, vnde exilia, & persecutiones sufferrem, nigerrimae maculae in vnguibus per totum septennium apparuerunt, ob sollicitudines, labores, honoris timorem, & exilia, quae substinebam, quae iura cum molestiis euanuerunt, & hoc verum obseruaui. Albae nimirum ex phlegmate, cum corpus ea redundat, et maximè in vnguibus emergunt, cum corporis partes caeterae non ita conspicuae, cum phlegmaticis considerationibus stimulamur.

Maculæ in oculis quid.

CAPVT XIIII.

MAculae in oculis duplices sunt, aut in albo, & tunc eueniet, quando melancholicus humor multum abundat, vt v.detur aliquando in moribundis, vel quando eiusmodi oculi maculosi sunt nigris maculis, & habitu sunt melancholico, vnde animi passiones subsequi certum est.

Vel

Vel sunt maculae in oculis, vt grana milii, vel quadrangulae diuersorum colorum, ignitae, rubrae, ceruleae, iridis coloris, quae veneficos, & efferatos homines indicant, vnde horribiles euentus, & pessimas mortes pronunciant, vt diximus in Physiognomonia.

De neuis in manibus, pedibus, & virga quid portendant.

CAPVT XV.

NEuus in manibus vtriusque foecundos in sobole procreanda monet viros & foeminas. Ex Melampo. Idemque. Neuus in pedibus vtriusque conspectus liberorum plurimae in ipsis foecunditatis signum est. Sed quemadmodum diximus in Physiognomonicis brachia, & crura eandem subeunt rationem, sic manus & pedes, & qui in manibus signatus erit, idem & scroto, sed qui in scroto signati, luxuriosi et foecundi sunt. Mars etiam in ascendente dat signum in pede dextro, occidente in sinistro. Et Hali dixit. Si videris notam in manibus, aliam videbis in scroto, & pendilibus.

Neuus in lumbis quid portendat.

CAPVT XVI.

SI tam maris, quàm foeminae neuus in lumbis adhaerebit, vterque inopia, & generis infoelicitate praemetur. Ipse ab Astrologis causam petit, lumbis enim Libra praeest, vti Venus dominatur. Sed si in sinistra parte signatus erit, Venerem demonstrabit infoelicem, et qui eam contrariã habebunt non mediocria patientur detrimenta, et aduersitates, idque ex rebus Venereis. Possumus & astrologicam causam adducere ex Materno. Ait enim. Iuppiter in Libra, dat quoddam signum in corpore. Idemque de Ioue loquens in Libra.

Neui in pectore quid notent.

CAPVT XVII.

M*Elampus ait, cum neuum in pectore vterque gestat, paupertatis obnoxios fore iudicabis. Hali Abenragel ait. Si aliquis notam habuerit in superciliis, aliam notam habebit in pectore. Legimus item apud Messahalac, quod Saturnus in Leone signat in quadam corporis parte, quod non alibi, quàm in pectore esse potest, cui praeest Leo, & Saturnus dat paupertates, & erumnas, damna, & similia.*

Si neuus supra cor apparuerit, quid sperandum.

CAPVT XVIII.

S*I neuus in parte sinistra, facinorosum notat, cordi Leonem praeesse iudicandum, quod uidelicet viri sint ignei, & praeferuidi cordis: Naturalis causa esse potest, quia quando cor signatum est, igneae, & praeferuidae irae sunt viri, ideo praecipites, sine consilio irruentes, ob id saucii, exules, ac carceribus detenti, vitam finiunt, derelicti, & ab omnibus odio habiti.*

De ijs, qui habent neuum in ventre, quid præsagiendum.

CAPVT XIX.

I*N ventre tam maris, quàm foeminae neuus consistens, voracem vtrumque, gulonemque designat. Astrologi imo ventri & pectini dicunt Scorpionem praeesse, vti Mars dominatur, qui calidissimus est, & qui ventrem calidum habent, voraces sunt, & gulones.*

De neuo in genibus.

CAPVT XX.

MElampus. Si mas in genubus neuum obtinebit, coniugem diuitem obtinebit. In foeminae dextro genu signum huiusmodi probitatis, in laeuo verò liberorum faecunditatis inditium interpretaberis. Genua Capricornus obtinet, cui dominatur Saturnus. Vel si in dextra parte signati sunt, denotat foelicem Saturnum in Leone, & ibi perueniens à tempestatibus liberatus, ad serenitates & laetitias & diuitias deueniet. Sed audiendi non sunt. Ratio naturalis est, quod virtus expulsiua debilis, & humores pessimi sunt et melancholici, et ex se ipsis cadunt in partes inferiores, vnde materiei paucitas demonstratur, et quod corpus huiusmodi humoribus vacet, et qui ita pugnati sunt, probi sunt.

De neuis qui in talis; quid?

CAPVT XXI.

NEuum si mas in pedis talo gestitat, vxori vestiũ vsum, foemina verò viri potestatam intercipiet. Iuppiter Piscibus dominatur, qui pedibus dominatur, & ipse homines sapientes, legum peritos, & multarum scientiarum solertes inquisitores, ob id non mirum si eorum vxoribus verum stium vsum intercipient, & si in mulieribus in sinistro genu, prudentes, decoras, honestasque producet, ob id non mirum si virilis potestas sibi adsciuerit.

Finis Libri Quinti.

IOAN. BAPTISTAE PORTAE NEAPOLIT.

COELESTIS PHYSIOGNOMONIAE *LIBER SEXTVS.*

PROOEMIVM.

SVPEREST optima nostræ Cœlestis Physiognomoniæ pars, scilicet quæ ex defectibus, & excessibus humani corporis partium, aliqua de moribus, & venturis præsagiri possimus. Difficilima nempe pars, & quæ reliquas difficultate superabit, videbiturque aliquibus sciolis quasi præpostera Astrologia, quæ non nisi ex Medicinæ, & Phylosophiæ fontibus hausta sunt.

Facie pulcherrimi quid portendant.

CAPVT PRIMVM.

LOquemur de pulcherrimis, mox de deformibus ratio habebitur, si corpore pulchri sint, & animo pulchriores, vel deformis moribus, & si fortunatos, vel infelices eos reddant, qui cum illis consortium inibunt. Sed principio Ptolemaei placita videamus. Ipse enim à Ioue, & Venere venustatem homines sortiri narrat, & demunt, adduntque Sol stellarum princeps splendorem, dignitatemque, ingerens se Luna, vt superius libri initio quoque vidimus. Iuppiter facit albos cum quadam coloris commen-

mendatione, oculos nigros & magnos, & forma venerabili, & Venus similia his facit, quae Iuppiter, nisi quod elegantiora, & plausibiliora, muliebremque magis habitum decentia, omnia habitiora, succulentiora, ac denique teneriora. Peculiariter oculos dat decenter sublucidos, opitulantur autem vnicuique horum configurati, Sol quidem ad formam decentem producendam & habitiorem, Luna ad maiorem conformitatem, & robur, ac temperaturam viuidiorem. Rursus matutinae stellae & apparentes. Praeterea pauiculatim constellationes, tam intra signiferum, quàm extra humanae formae conducunt: nam Libra, Virgo, & Sagittarius conformitatem addunt, & moderationem, & vocantur haec signa humanae configurationis. Ad id Hali. Virgo, vt honestas decet mulieres dat pulchrum corpus, aliquantulum longum, bene constitutum, non pingue. Libra pulchrae formae, mediocris in carne & corpore, alba in carne. Idemque de Sagittario. Sed quae longo temporis curriculo, longaque annorum serie Astrologi contemplati sunt, & obseruarunt, et in eorum dogmatibus sancitum est, si oculos in coelum eleuassent, breui temporis momento poterant idem assequi ex ipso syderum aspectu, situ, motu, et quantitate. Quid formosius in coelo Iouis, aut Veneris sydere? Iuppiter amoeno colore praefulgens, magna splendoris praerogatiua, ac maiestate ad se oculos allicit, trahitque, vt vix ab eo possis distorquere, Venus roseo, albicanti, aureo, blandoque colore radians, mane coelum exornat, vt nil, demptis Sole et Luna, in toto coelo ea venustius. Sol et Lana luminum magnitudine, affluentia et decore omnia superat sydera, vt tanquam reges aliis lumen, dignitates, et praerogatiuas communicent. Dicunt etiam propter situm diuitias eorum abundantius polliceri, nam orientales splendidiores, ac lumine auctiores conspiciuntur, vt Venus mane phosphoros dicatur, quasi Lucifer, contra occidentales, lumine orbati, ac veluti viles et deiecti, cadentes dicantur. Formam, quam à signis prouenire dixerunt, non aliunde prouenire conspicati sunt, quàm à

pri-

primae, vel ſecundae magnitudinis ſtellis, atque à Iouis et Veneris naturis, quippe eodem lumine, colore, & pulchritudine refulgent. In Geminorum pedibus ſtellae ſunt, quorum naturae Veneris & Mercurii. In Virgine ſtellae ſunt in ala, in ſpica, in extremis pedibus, & veſtibus: & ſic de reliquis. Vnde ad rem redeuntes, ſi eiuſmodi formae in ſtellis conſpiciuntur, coloratae, ſplendentes, ſcintillanteſque, & laeto aſpectu conſpicuae, ex iis optimi mores, & fortunati euentus euenire coniiciuntur. Sed his, quae diximus antiquorum hiſtoriae contrariae ſunt, in quibus varii leguntur viri forma conſpicui, ſed prauorum morum inſignes, quemadmodum Alcibiades fuit, qui oris pulchritudine, & totius corporis compoſitione omnes ſui temporis natos ſuperauit. In pueritia viros ab vxoribus abſtulit, in iuuentute vxores à maritis, ſed moribus fuit contentioſus, incontinens, luxurioſiſſimus, omnibus voluptatum generibus maxime procliuis, qui & de occupanda patriae libertate cogitauit. Idem de Pſedomante alibi diximus, qui omnium formoſiſſimus erat, atque omnium flagioſiſſimus. Fuit & ſpecioſus Diocles, ſed omni virtute refertus, qui ne ſua pudicitia à Demetrio contaminaretur, cum ab eo nudus in balneo deprehenſus eſſet, in feruentem aquam ſe coniecit, & mori maluit, quàm pollui. Scipio Aphricanus eximia fuit forma, eximiae quoque virtutis, vt ambigendum ſit, num forma boni quidpiam, vel mali adferat. Nos hac quaeſtionem ita abſoluemus. Duplicem dicimus eſſe formam, iocundam alteram, delicatam, teneritudine, ſucculentia, carnium laeuitate, alteram elegantem, & partium concinnitate, decora maieſtate, ac diuina quadam gratia plena, ad eam reuerendam, obſequendamque homines cogit, haec Iouia erit, altera venerea, haec ob Veneris dominium, luxurioſos, tripudiis, voluptatibus, cantilenis, conuiuiis, & delitiis deditos, & intemperantes facit, illa dignitates, magiſtratus, honores & magiſtratus conſequitur optimaque morum praerogatiua principibus, optimatibus, & magnatibus familiaritate deuincit, vt quamplurima ab

eis

eis bona consequantur. Huiusmodi erat Alcibiadis, & Pseudomanti pulchritudo, altera Dioclis, & Scipionis Iouia erat. Sed nos physicas rationes assignabimus & coelestes, vtpote commentitias & illusorias confutabimus. Praestantissima Veneris & Iouis compositio ex nostri corporis crasi resultat, calida, videlicet, & humida temperata, sed Iouia paululum ad bilem vergens, ad humiditatem, ob id haec optimis moribus, prudentia, scientia, & omnibus animi dotibus insignis. Vnde facile ex eiusmodi moribus, magnatum & principum familiaritates & congressus, magisteria, & officia vanciscuntur, altera magis calida & humida ad luxuriã prona, ex alia diuitiae, & omnia vitae commoda proueniunt.

Facie & corpore deformes quid præstent.

CAPVT II.

PORphyrius Platonicus Phylosophus, quorum animi iniqui sunt, corpora item deformia habere dixit: nobisque natura datum est, vt contemptui nobis sint, qui turpi corpore, aut non ita eleganti: contra qui corpore formosos statim veneremur & diligamus, vsque adeo, vt si duo aliqua animi dote, insigniti sint, longe magis existimemus in formato, quàm in turpi. Idque etiam sensis Virgilius.

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

Pythagoras existimabat corporum structuram ingeniis non dissimilem, & distorta membra distortum, ferre animum, eumque prauitate & passionibus immutatum, corpos conforme sortiri. Ob id scholae suae apposuit titulum, ne quis eo compange male constructa, deformique vultu ingredetur, pro certo habens, naturae secreto, nulli corpori vitium accidere, nullaque corporis prauitatem, quin animi vitium, intemperantiamque sequatur. Nec solum mala existimantur, quae deformia, sed inauspicatissima sunt, occurrens cuippiam distortus, mali ominis, si formosus boni. Brutus apud

Philippos infaustum pugnae exitum sibi significari praedixit, cum procedentibus aciebus deformi Aethiopi occurrisset, vt ex Plutarcho habetur. Simile accidit Hadriano Imperatori ex occursu distortissimi Aethiopis, omnia sibi extrema ingruere coniecit. Ad id Iuuenalis

Et cui per mediam nolis occurrere noctem

Legitur etiam de Agesilao Spartarum Rege claudo, cui ab oraculo pronunciatum est belli exitium.

Sis inuicta licet tibi dico comparta cauebis,
Ne claudo victrix patiare incommoda Rege,
Includent subito multo cum tempore morbi.
Et sæuo bellum prosternens omnia fluctu.

Sed accedamus ad Astrologorum placita. Ptolemaeus. Saturnus occidentalis natos facit macilentos, paruos, & nigros, sic Mars rubentes, ac exiguo capite. Praeterea occidentales imbecillia corpora, dignitate prorsus nulla, similiter Scorpius, Pisces, & Capricornus incommensuratam staturam constituunt. Sed si quis coelum aspiciat, videbit Martis sydus obtuso ignis splendore rutilare, & Saturni lurido pallore, & horribiliter minaci, vt nemo sit sanae mentis compos, qui ex solo eorum aspectu non coniiciat hominibus noxia sydera, & minimè salutaria esse. Ita etiam occidentales stellae, splendore orbatae, minimae magnitudinis, ac omni honore & dignitate cadere conspiciuntur, & stellae, quae in Scorpionis fronte sunt Saturniae & Martiae naturae sunt, & quae in corpore graeco nomine, Martis, & in nexu dorsi, Saturni, quae in ipsa cauda Mercuriales, & gyrus etiam nebulosus, & Martius est: & quae in cornibus Capricorni, Martis, quae in pedibus, & aluo, Martis, quae in cauda, Saturni quippiam, quae in cauda, Saturni. Quae in capite Piscis habet Saturni quippiam, quae in cauda Saturni, quae in spica Martiae, quae in filo Septentrionali Saturniae, quae in nodo Martiae. Ex his igitur stellis, quae non solum deformes, sed horribiles sunt, non immerito

rito deformes, & incommensuratos homines producere dixerunt. Sed ut superius diximus, etiã historiarũ fides nobis aduersa est, nam sunt & deformes multi, & vitiorum pleni: sunt etiam & turpes laudabilium morum, & conspicuarum virtutum. Fuit & Thersites protenso capite, deformi vultu, ac nimium breui statura, quem non minus reprobis moribus Homerus eum describit, quem sine iudicio, & mensura locutum esse dixit. Aesopus omnium suae aetatis hominum deformissimus fuit, acuto capite, pressis naribus, depresso collo, prominentibus labris, niger, ventricosus, valgus, & incuruus, tandem sui temporis omnium sapientissimus fuit: nam, ut saepius diximus, rem ito absoluemus, est deformis facies, cadentium, & occidentalium Saturni, & Martis, quae vltra deformitatem, habet vilitatem deiectionem, & abhominationem, est tamen vtrorumque altera deformis, sed partium concinnitate non adeo incongrua, sed suas habet quodammodo dignitates, & venerationes, vti erat Aesopi illa, altera erit Thersitis. Sed ad naturales qualitates deueniendo, est Saturni qualitas frigida & sicca, Martis illa calida, aridaque vehementer, quae omnium pessimae sunt, ex his non nisi paupertates, carcercs, miseriae, exilia eueniunt, vt sexcentis in locis epilogauimus, & haec non ex coelorum, & planetarum influentiis, sed ex ipsa pessima eorum temperie, & morum institutione.

Vtrum corpore vitiati, sint moribus vitiati.

CAPVT III.



Strologi ad stellas referentes, quae ex naturalibus causis eueniunt, inquiunt, corpore vitiatos, esse etiam moribus vitiatos & infoelicissimae vitae, quibus infortunata omnia eueniant. Ptolemaeus corporis vitia accidere solere dixit, cum maleficae stellae fuerint orientales, & planetae orientales potentiores sunt,

& quanto maleficae potentiores, eo deteriores, quia plus affligũt, Maternus autem Venerem in Leone corpore vitiatos reddere, et propterea pauperes, neglectos, varios, et natura diuersos, malisque facinoribus semper intentos, crebrisque saepius laboribus fatigatos. Eandemque in Virgine non solum corpore, sed animo vitiatos facere, semper tristes, anxios, sollicitos, luctuosos, & qui infimis hominibus semper associãtur, hi igitur, vt à stellis corporis vitia, ita & animi, & fortunae accidere dicunt. Nos autem secus: nam & causae naturales sunt, & non ab astris: videmus enim naturam aliquando in facillimis aberrasse, & ideo non mirum si in difficillimis, vt cum mutilos videamus, naturae vitia videamus, & si circa corpus aberrauit, facile anima, quae ipsum informat, vitiari solet, & fortuna hominis mores sequitur, si fortuna est: nam caeca & oculata hominis prouidentia fortuna est: nam ignoti, improuidique sunt, qui infortunati, prouidi verò felices & Physiognomones semper praecauendum censent ab ouiatione, & societate infortunati hominis, per opus naturae superioris, scilicet ab homine, cui aliquod praecipuum organicum membrum deficiat. Et Aristoteles ad Alexandrum scribens ait, caue, praecaue ab homine infelice, & diminuto in aliquo membro, sicut ab inimico vt prouerbio abierit, Cauete à signatis, ne confidatis homini, cui aliquod membrum deficiat. Et septimo Paliticorum vltimo, dicit exponendos esse pueros natura orbatos, idest vitiatos, & non nutriendos, quasi id lege sancitum sit, impossibile existimans ab corpore male organizato laudabiles actiones oriri posse, vnde ad bene esse & ad bene viuendum congrua, & sufficiens organorum vel partium compositio. Videmus quod homo partes magis congruas, bene dispositas & formatas habet, quàm foemina, ob id iustior virtuosior, perfectiorque, foemina iniustior, dolosior, magisque imperfecta, Ex optima complexione, optima prouenit corporis compositio, sic ex humorum distemperantia, mala corporis & morum congruentia: virtus formatiua, quando in ortu valida,

robusta, & perfecta est, dominatur humoribus & naturae, tunc omnia optime disponit, & cogit obedire, secus autem in imbecilli. Dicunt Astrologi, quod in decimo Scorpii gradu ascendit homo facie, collo, oculis, & toto capitis gestu tortuosus, & contradicens, ceruicis indomitae, & ostinatae opinionis. In prisca Romanorum Theologia à consecratione arcebantur manci, quique corpore debiles, aut membro vitiati, censebantur enim indigni, qui sacra tractarent, & M. Sergium ob prauitatem, imminutionemque corporis à sacris fuisse amotum. Et Dominus ad Moysen locutus, iussit, ne claudus, vel paruo & grandi naso, vel torto, vel fracto pede, aut manu, nec gibbosus vel lippus, nec albuginem habens in oculo ad sacerdotium assumatur. His assentire videtur Augustinus sanctus, qui dixerit, corporis incompositionem mentis inaequalitatem indicare. Regnorum libro Rex Dauid inquit. Non ingredieris huc, nisi abstuleris caecos, & claudos: & proposuit premium, qui abstulisset caecos & claudos, & iccirco prouerbio dicitur, caecus & claudus non intrabunt in templum.



En monstruosi hominis Imago.

capo monstruoso huomo peruitiose



Monstruosos corporibus esse & moribus & fortunis monstruosos.

CAPVT IIII.



T si id cum superiori adsimile videtur, Ptolemaeus tamen differens fecit, demonstratque ex tribus colligi debere, primo vt luminaria cadunt ab angulis, nulla familiaritate cum ascendente haerente, secundo vt muleficae sint in angulis, & maxime in ascendente, & decima, vltimo vt dominus loci coniunctionis, vel oppositionis natiuitatem praecedentis, neque ascendenti, aut loco Lunae, neque geniturae domino aliqua familiaritate iungatur, vnde maleficis dominantibus, & in angulis constitutis, necesse est esse malorum morum, & pessimae fortunae. Maternus verò dicit. Vt nil iste appetat, nullam rem audeat, cum sciat, se sic posito Sole in omnibus suis actibus infoeliciter impediri. Sed vulgo à Philosophis decantatum est, monstrum in corpore, monstrum in anima, quod monstrum in anima, quid ex euentibus consequi potest, nisi mala, & infortunia.

Vnde sacitum in Philosophia esse iudico, qui aliquo deficit mem b-o & principali, & monstruosum esse, & male fortunatum, & ei aliquid deficere de praecognitione & prudentia, & eis qui male morati, & minime prudentes, semper noxia eueniunt, cum nec praeuidere, nec praecauere cognoscant, & hominum fortunae & infortunae sunt praecognitio, & ignorantia. Maternus haec habet. Si maleuolae stellae in cardinibus fuerint collocatae partiliter, Sol verò, & Luna in cardinibus positi diametra se radiatione percutiant, & beneuolae stellae neque in cardinibus positae, aut radiis Solis absconsae sint, aut quadrupes, aut monstrum nascetur. Si Mars aut Solem, aut Lunam, aut horoscopum quadrata, aut

diametra radiatione respiciat. Si Luna in contortis signis fuerit, Geminis, Tauro, Ariete, Piscibus, Aquario, aut Capricorno. Sed poterant Astrologi in coelũ respicientes, videre signa tortuosè ascendentia in Zodiaco, iudicare, quod nati sub eis, non nisi tortuosi esse poterant, sed tortuosè ascendentia signa sunt, quae breuiori tempore peroriuntur, cùm in eorum ascensione plus de equatore, quàm de ecliptica, & haec computantur, vt à medietate signiferi descendente à principio Capricorni vsque ad finem Geminorum. Contra signa, quae directè ascendunt, rectos homines progignere, & bene dispositos. Signa bicorporea sunt Gemini, Sagittarius, & Capricornus, dixeruntque Astrologi bicorporea, quod in eis quamplurima reperiebantur sydera, natura bonorum planetarum, quod oculis & coloribus poterant diuinare, sine tanti temporis curriculo. In Geminorum pedibus stellae sunt natura Mercurii & Veneris, in capite duae Mercurii & Martis, in cuspide Sagittarii, Lunae & Martis, in arcu, vbi manus, Iouis & Martis, in ore, Solis & Martis, in dorso, Iouis & Mercurii, in pedibus Iouis & Saturni, in cauda, Veneris & Martis, in ore, Saturni & Veneris in pedibus & aluo, Martis & Mercurii, in cauda, Saturni & Iouis. Summa igitur Astrologorum erit, Si maleuolae stellae in cardinibus positae, vel Luna & Sol inimica radiatione eas sauciabunt, sine auxilio fortunarum, sunt causae monstruosorum. Sed quid optimi, vel boni saltem in moribus, in fortuna & vita portendere poterant? Sed ad physicas rationes reducendo, tanta humorum, complexionum & qualitatum discrepantia, & contrarietas, ex qua monstra, & non naturae ordine generata, quomodo bonos mores, vitam, fortunas portendere poterunt? Legimus in historiis, monstra illicò nata regni amisionem praedixisse, mortes, pestes, praelia, sanguinis effusiones, & tunc expirasse, idque naturali euenit ratione, nam praeter naturae ordinem nati, breuissimae sunt vitae, & anima quicquid longo tempore factura erat, hoc breui temporis interuallo demonstrat, & melancholici etiam propè morituri futura solent diuinare.

De

De longioribus, & breuioribus viris.

CAPVT V.



Oquendum de iis hoominibus, qui longitudine super alios attollantur, & de breuiori statura praeditis, quid morum, & vitae contingentiũ portẽdãt. Ptolemaeus in Cẽtiloquio. Dominus geniturae in sublimitatibus, et horoscopi ipsorum in signorum principiis, et in signis rectae ascensionis, longioris staturae natos producit.

Haec quoque ex coelesti Physiognomonia apparent, et à similitudine quoque desumptum est: nam quando Sol, vel alter planeta in sui deferentis auge, in sublimi orbis eleuatione, quia maxime à nobis longè abest, longos homines facere, et cum in opposito augis, atq; propè nos est, breues corpore facere. Et in signis rectae ascensionis videntur recte ascendere: ob id rectos facere, & longos: in tortuosis verò breues. Idem quoque initio signorum. Rectae ascensionis signa sunt, quae dum in sphaera obliqua ascendunt, plus temporis occupant, quàm cum minori arcus aequinoctialis, quàm eclipticae peroriuntur, & sunt ab initio Cancri vsque ad finem Sagittarii. Sed hoc non ex astrorum principiis, sed naturae. Planetae autem, quae longe à nobis absunt, leuius operantur & sunt effetarum virtutum, ob id languidos, imbecilles, & emasculatos, contra autem breues, quia virtutes arctius coguntur in corpore, fortiores, & validiores, & robustioris virtutis. Physica ratio est, in breuibus corporibus sanguis paruo loco continetur, vnde motiones veloces, & operando & intelligendo satis sunt celeres, & in breui corpore breue est inter cor & cerebrum iter, vbi spiritus accenduntur: ob id fortiores, & fortunatiores quoque, contra autem in magnis corporibus existente magna latione spirituum, tardius adsupera, & ad operationes accedunt, ob id in his non viuidi spiritus, & illustres

apparent, ſed effoetus & debiles, vnde omnes debiles, timidi & infoelices in votis conſequendis, quàm breuiores, vt latius in noſtris Phyſiognomonicis.

De corporibus magnis, & paruis.

CAPVT VI.

DIcemus de corporibus magnis & paruis. Dicimus magna corpora non longa, vt paulo ante diximus, ſed lata, & magna, & parua corpora, quae macilenta & imbecillia ſunt. Ptolemaeus Sol & Luna maxime opitulantur ad decentiorem formam producendam: & habitiorem. Inter planetas reliquos Iupiter & Venus, quia reliquis maiores. Saturnus verò, & Mercurius parui. Praeterea matutinae ſtellae apparentes ingentia efficiunt corpora, & praeeuntes moderata. Et quarta vernalis ſcilicet Aries, Taurus, & Gemini ſtaturoſos efficiunt, magis ad calidam, humidamque naturam accedentes. Praeterea ſigna, quae corpulentos faciunt & ſtaturoſos homines eſſe Leonem, Virginem. & Sagittarium. Contra verò cum ſtellae occidentales conſtiterint, imbecillia corpora, dignitate prorſus nulla. Et autumnalis quarta Libra, Scorpio, & Sagittarius, graciles efficit, & ſicciores, & ſigna, quae parua producunt corpora Piſcis, Cancer, et Capricornus. Tandem in Centiloquio. Domini geniturae macilentorum hominum latitudinem non habent, quod ſi latitudo auſtralis, agiles erunt, ſin borealis, pigri. Haec ex ſuperiorum ſyderum Phyſiognomonia addiſci poterant: nam Sol et Luna ſunt omnium planetarum maximi, ideo imaginari poterant ex eorum magnitudinibus corporum quantitates poſſe peruenire. Praeterea orientes planetae, mane per interpoſitos humores conſpiciuntur, ideo videntur ſolito maiores, imò decuplo ampliores, orientales poſtea macilentos, deiectos. Et verna

quarta, quia hilaris annus, rident omnia, videntur floridiores homines gigni, et pinguiores: contra autumnalis moeſta, nebuloſa, et triſtis, quia arbores fructibus ſpoliantur, et videtur mundus veluti moeſtus. Omnes planetae ab ecliptica latitudinem magnam habentes, videntur corporis latitudinem gignere, et qui latitudine carent, macilentiam. Et ſigna corpulenta, quae maior ſtellarum caterua decorat, videntur etiam habitiora, opulentioraque corpora largiri: ſic vbi minor ſtellarum numerus, minus pinguedinis. Sed ad phyſicas rationes redeundo, non ex aſtris, ſed naturali ratione prouenire. Vernalis quarta ideo homines corpulentiores facit, quia qui ſub ea naſcuntur, ſaepenumero ex calida humidaque complexione conſtant, et nos hic ſaepius, et alibi diximus, qui calida, humidaque conſtant temperie, pingues, carnoſi, & qui ſub autumnali quarta frigidi, & ſicci, et qui eiuſmodi temperie conſtant, ſicci et macilenti. Praeterea Luna frigida et humida, ex quibus pinguedo, et Sol calidus et ſiccus, fit ex his temperies ad corporis habitudinem. Et in reliquis planetis Venus et Iuppiter ſunt etiam calidi et humidi, et ideo efficiunt ſtaturoſos, ex Marte et Saturno calido et ſicco et frigido et ſicco minor pinguedo. Planetae latitudinem habentes faciunt homines pingues, quia minus calidi, ex qua macies, ſed latitudo auſtralis, quia calidior, agiles facit, borealis tardos et hebetes, quia magis humida. Ex his igitur colligunt Aſtrologi Iouem et Venerem dominantes in horoſcopo planetas orientales, latitudinem habentes, et in vernali quarta, et in ſignis Leone, Virgine, et Sagittario, praecipua, et fortunata ſigna, quae in ſuis domiciliis Iouem, Mercurium, et Solem recipiunt, natos faciunt bene moratos, amatos, glorioſos, dignos, fideles, et huiuſmodi ſimiles, contra ſigna à Marte et Saturno dominata, in latitudine Septentrionali, occidentalia, et cadentia, natos formare immorigeratos, macilentos, triſtes et infoelices, et qui corpulenti, deſides, ad acquirendas opes minus paratos, et ex ſicca et frigida, et calida temperie malignos, et peſſimos.

Aa 2 De

De eunuchis, & quid portendant.

CAPVT VI.

INquit Ptolemaeus. Si Venus masculina, & luminaria, & Verna occidentalis, maleficae proximè sequentes partes ascendant, mares euirati nascuntur, & testium vitiis affecti, praecipuè in Ariete & Libra, & aliquando ab oculorum vitiis non liberi. Quod Ptolemaeus dixit maxima euenit ratione: nam Venus male affecta, genitalia officit, & ratione luminariorum male affectorum lumina male officiuntur. Maternus. Si Luna cum Saturno fuerit partiliter collocata, & Venus eam qualibet radiatione prospexerit, & Saturnus in finibus Veneris, aut Venus in finibus Saturni, nec Iuppiter Lunam aliqua radiatione respiciet, eunuchi fiunt. Sol & Luna in foemininis signis inuenti, aut simul positi, aduersis locis collocati, & Venus in foeminino constituatur. Luna & Mars in quocunque cardine partiliter collocati eunuchos faciunt. Si Mars aut Luna diametra sibi fuerint radiatione contrarii, Venus in dextro eorum quadrato fuerit, & Venus de diametro Saturnum respiciet per sinistrum quadratum, Lunam, & Martem pulsauerint, vt Venus de diametro Lunam et Martem de quadrato respicient, eunuchi nascuntur. Sed physica nos admonet ratio, frigidos et siccos, vel frigidos et humidos minime salaces esse, et si virilia habent frugi non sunt, sed complexio calida et humida, vel calida et sicca luxuriosos reddit. Luna frigida et humida, Saturnus frigidus et siccus, et hi planetae contrarii sunt luxuriae, et sauciauerint Venerem, idest complexionem calidam et humidam de opposito, idest maxima oppositione, nam calidum oppositum frigido, et siccum humido, aut quadrata radiatione, scilicet calida et humida Venus, calidus et siccus Mars, *cum in vna qualitate discordant,*

ſcordant, in altera conſentiunt ſimul, vt ſint apertae inimicitiae. Ex his ſaepe orbamur lumine, nam ſicut inordinati coitus viſum debilitant, ſic ſuperfluum ſperma in corpore retentum venenum generat.

De cæcis, & quid portendant.

CAPVT VII.

PTolemaeus oculorum orbitas à luminaribus cauſatur, male in coelo conſtitutis. Videlicet ſi in angulis prima, & decima conſtituantur, in anaphoris infortunarum. Si Luna in aſcendente ſolitaria, alterius oculi orbitatem portendit cum Sole congrediens, aut ex aduerſo poſita, ambobus oculis orbati. A quo Maternus. Sol in aſcendente, Luna in medio coeli in angulis infortunarum, & ab hinc longe abſint beneficae ſtellae, coecos, aut luminibus vitiatos reddit. Ptolemaeus. Vel ſi eadem luminaria in ſtellis nebuloſis ſigniferi reperiuntur, vt in Pleiadibus Tauri, aſellis, Cancri cuſpide ſagittae Sagittarii, in vrna Aquarii, vel Leone, vel Berenicis crine, vel nebuloſis ſtellis extra zodiacum lactea via, ſtellis occultis, aut nebuloſis, vel obſcuris ſtellis nubis naturae, Martis & Solis. Et in centiloquio. Si Luna Soli aduerſa in nebuloſis ſtellis adiungitur, erit in nati viſu malum. Qui enim ſub eclipſi naſcuntur, oculis turbabuntur. Praeterea Saturnus & Mars minantur etiam luminibus. Si ſunt in occiduo cardine, & ambae maleficae ſtellae in cardine orientali, & Sol quoque in cardine, oculis capietur. Praeterea Si Mars aut Saturnus, Lunam in angulis ſitam occidentalem, & hi ipſi in centris conſtituti Solem acceſſerint, vtrique oculo minantur. Mars quidem à plaga, aut pulſatione, ferro, aut actione coecitatem adducit. Si Mercurius concitatus in paleſtris & gymnaſiis, aut malorum hominum in curſibus, Saturnus per ſuffuſionem,

nem, frigus, glaucomata, & similia. Et in Centiloquio. Si Luna in occiduo cardine, ambaeque maleficae stellae in cardine orientali, & Sol quoque cardinalis, natus ipse oculis capietur. Ab eo Maternus. Saturnus & Mars in cardinibus partiliter constitutus, vel Sol & Luna in horoscopo, & Mars in septima, & beneuolae non aliqua radiatione respiciant. Sed quae Astrologi ex variis experientiis emendicati sunt, poterant ex stellarũ physiognomonia illicò edocere. Quis non videt Solem & Lunam esse, veluti coeli oculos? vt enim oculi nostrum corpus illuminant, ita & luminaria haec magna coelum & mundum illuminant? Quid in homine illustrius quàm oculo? quid in coelo nobilius, quàm duo haec luminaria, vt oculi hominum stellae, ita & stellae sunt mundi oculi. Aequum igitur erat, vt cum ea luminaria in coelo lumine orbarentur, vt vt in eclypsi, vt qui sub ea nascerentur, essent & luminibus orbati, & qui sub stellis illis nebulosis, obscurisq; nascerentur, & oculi quoque eorum caligarent. Sunt enim Pleiades in Tauro, aselli in Cancro, nebulosae & obscurae, vt caecos & lumine orbatos diceres: Et quia in coelo lactea via conspicitur, non aliunde lac illud euenit; nisi ex obscuris stellis, & vix visu pelceptibilibus, vt in metheoris nostris latius explicauimus. Sic & Martis sydus retuse rubet, & Saturni plumbeo colore liuescit, vt non immerito hominum luminibus impedimenta minentur.

Sed ex eorum scriptis colligere poterimus, luminaria, vt potissimum in angulis infeliciter collocata portendunt natis maxima difficultate magistratus, officia, & dignitates consecuturos, cum ipsi sint, qui eiusmodi dignitates largiantur. Item Saturnus & Mars infesti, infirmitates, vulnera & ignes decernunt, & eorum aspectus infortunati, violenta etiam morte necati minantur. Idemq; promittitur ex Luna in ascendente infoeliciter collocata. Sed haec non ex coelesti influxu portendi: Sed ex ipsa morum qualitate, nam qui coeci sunt, ex affecto cerebro malum prouenit, & maximus defectus in maximo viscere, maximum est, vnde & maximè, eo-

rũ actiones laedũtur, et qui eiuſmodi viſcere vitiati sũt, coeleſti sũt, vnde facile in rixas & mortes peruẽturi ſunt. Vnde nõ infoeliciter dictum fuit, cauete a diminutis, quia infortunati. Et per diminutos maxime omnium intelliguntur caeci, & gibboſi, quia diminutio cecidit circa principalia viſcera, cerebrum, & cor.

Quæ dicta ſunt de corporibus cęleſtibus, aut naturali temperamento qualitatum, aut humorum, ſic ſunt accipienda, vt intelligatur poſſe quidem humanam voluptatem ex his moueri ad eum modum, quo mouetur ab exteriore obiecto, non tamen quantum ad exercitium actus, vt explicat S. Thomas 1.2.q.4.a ter.5. Vnde & Ariſtoteles a it, Sapiens dominabitur aſtris.

Ex commiſsione Reuerendiſs. Patris Magiſtri Sacri Palatij vidi & examinaui præſentem librum cæleſtis Phyſiognomoniæ in ſex libros diuiſum, & nihil inueni catholicæ doctrinæ, aut bonis moribus aduerſum. Vnde typis poterit excludi: in quorum fidem præ ſentem ſubſcripſi, in conuento S. Mariæ ſuper Mineruam. 12. Aprilis. 1603.

Fr. Didacus Aluarez Magiſter & Regens.

Fr. Io. Maria Braſichellen. Sac. Pal. Apoſtolici Magiſter non impedit, quin liber hic imprimatur, non tamen in Vrbe.

Imprimatur.

Alexander Gratianus Vicarius Capitularis Neap.

D. Gabriel Lottherius Deput. Vidit.

M. Cherubinus Veron. Auguſt. Theologus Curiæ Archiep. Neap. vidit. Reg. fo. xxvij.

INDEX EORUM QUE IN HOC LIBRO CONTINENTUR.

D. Ant. Fr. Rot. (?)

Marti

♂ Martis morbi mover et formam qui et infelix — 47. et q. proveniat a sperando cum a stella — 48.

☉ ☽. Solis et Lunae imago — 53. 78.

☉ Sol quam formam tribuat — 54. et quod ex globo potius forma sit desumenda — 55. et quod proveniat a sperando — 56. Item quos morbos tribuat — 56. 58. et quod proveniant a sperando cum a stella — 57.

☉ Sol infelix quam formam mover et morbos tribuat — 58.

♀ Veneris et aliis imago — 60.

♀ Venus quam formam tribuat — 61. et quod potius ex prospectu sideris talis forma possit presagiri — 62. et quod proveniat a sperando — 63. Item quos morbos tribuat — 64. et quod proveniat ad sperando — 67.

♀ Venus infelix quam formam mover et morbos tribuat — 67.

☿ Mercurii imago — 69

☿ Mercurius quam formam tribuat — 70 et q. talis forma potius ex stelle aspectu debeat presagiri — 71. et q. proveniat a sperando — 72. Item quos morbos tribuat — 72. et q. proveniant a sperando — 73. et imago mercurialis — 75

☿ Mercurius infelix quos morbos mover et formam tribuat — 75. 76.

☽ Luna quam formam tribuat — 79. et q. potius ex prospectu debuerit deveniri — 79. et quod proveniat a sperando — 81. 81. Item quos morbos tribuat — 82. et q. proveniant a sperando — 83.

☽ Lunae morbi qui sint — 83. et quod proveniant a sperando — 84

Planetarum immistio cum aliis planetis

♄. Saturni immistio cum aliis planetis — 86. et qua forma et morbos tribuat 91.

♃ Jovis immistio cum aliis planetis — 94. et qua formam et morbos tribuat — 98.

♂ Martis immistio cum aliis planetis — 100. et quam formam et morbos tribuat — 103.

☉ Solis immistio cum aliis planetis — 105. et qua formam et morbos tribuat — 106

♀ Veneris

♀ Veneris immixtio cu aliis planetis – 107. et qua formā et mores tribuat – 109.

☿ Mercurij immixtio cu ~~aliis planetis~~ luna – 109. eiusq. forma et mores – 110.

Hominis parvos magnos pulcros et deformes cum alijs imaginibus provenire dicunt astrologi – 111. et intra homines – 174. et seq.

Hominis formā quomodo possit discerni ex sola caeli inspectione 113.

Signa Zodiaci quā formā tribuat et mores generatis de ... 114. 128. ...

Aries quā formā et mores tribuat – 115

Taurus quā formā et mores tribuat – 116.

♊ Gemini quā formā et mores tribuat – 117.

♋ Cancer quā formā et mores tribuat – 118.

♌ Leo quā formā et mores tribuat – 119.

♍ Virgo quam formā et mores tribuat – 120.

♎ Libra quā formā et mores tribuat – 121.

♏ Scorpio quā formā et mores tribuat – 123.

♐ Sagittarius quā formā et mores tribuat – 124

♑ Capricornus quam formā et mores tribuat – 125.

Aquarius quā formā et mores tribuat – 126.

Pisces quā formā et mores tribuat – 127.

Signa quae sint mobilia fixa ... et quid indicent – 128.

De Quatuor Temporibus Anni

Hominis forma et mores nascentis i aliqua ex quatuor anni partium 1°. Vernali nativitate – 130. 2°. de Estiva nativitate – 131. 3°. de Autumnali – 132. 4°. de Hyemali nativitate – 133.

Stellae quae extra Zodiacum reperiuntur quā formā et mores tribuant – 137. et quid ... physica rationes – 138.

Planete.

Planetę progredientes per signa quid significent.

De Maculis et Nevis

Nevi

Index Generalis Colorum in facie hominis

Colores signorum

Index particularis omnium colorum prout inveniuntur in fine somniis [illegible]

et candore a ♃ 30. et Croceus quasi niger a ✳ 54. 11. 106 mag.
in ♈ 119. et ♀ ♂ 142. et Croceus al albo a ♀ 63.
Candidus a ♃ 29. 30. 71. [et a ♀ 61. 106] et Candidus ad aureo croceo a ♃ 30 et
Candidus ✳ et al sanguineo ut vero fulgore mixtus a ♀ 62. 63. et
Candor a ☽ 29. 82. et Candidi rubor a ♒ 126.
Caprinus a ♑ 125.
Capilli albi a ♈ 115. Nigri a ♉ 115. Non nigri mollis et flavi
a ♄ ☽ 93. et Albicantes a ♈ 115

Excoloratus ab or. ut occ. mars 12. 13. 14.
Fuscus color ex or. ut occ. mars. 12. 14. 15. 16. a ♄ 20. v. Obscurus
Flavus ab autumnali mar. 132. a ♀ 71. a ♂ 124. et Flavus et albus
a ♃ 29. et Flavus fuscus a ♌ 119.
Igneus a ♂ 44. 46. 47. 71. v. scintillans v. Rubedus
Languidus ex orient. ut occ. mars. 15. 16. v. Macilens v. Pallidus v. ob... Lucens
Lividus a ♄ 21. 71. v. Languidus v. Plumbeus. v. Obscurus
Macilens ab or. ut occ. mars. 12. 14. 15. a ♄ 24. 29. a ♀ 73. 76. v. San-
guidus v. Pallidus et Plumbeus.
Melinus ex or. ut occid. mars. 12. 14. 15. a ♄ 19. a ♀ 70. 71. a ♃✳ 97. 98.
a ✳♀ 105. 106. v. Albus Castaneolus
Niger ex or. ut occ. mars. 12. 14. 15. 16. et ab hyem. mars. 133. a ♄ 20. 21.
23. 24. 27. et Niger mixtus al croceo a ♄ 19. Niger al rubeo a ♂
43. 49. Niger clarus a ✳ 96. Niger decenter albidus a ♃ ♀ 97. 100.
Niger ad rubedinem vergens a ♂✳ 100. v. Subniger. v. Plumbeus. v. Obscurus
Obscurus ex or. ut occ. mars 12. 14. v. Pallidus. v. Fuscus. v. Macilens. v. Plumbeus.
Obnubilus a ♀ 70. v. Subniger v. Plumbeus v. Lividus v. Pallidus
Pallidus ex or. ut occ. mars. 15. 16. et Pallidus croceus a ♀ 77. et Pallidus
tenuis a ♀ 70. 71. v. Macilens v. Obnubilus v. Obscurus v. Languidus et
Plumbeus

Plumbeus a ♄ — 20. v. Niger. v. Pallidus. v. subniger. v. Viridis. v. [illegible] v. Lividus

Rubeus a ♂ — 43. 44. 45. 46. 47 et a ♍ — 121. et ✱ 123. Rubeus cum albo a ♂ — 48. Rubeus cum nigro a ♂ — 43. 49. Rubeus albus a ✱ — 54 [illegible] [illegible] — 139 et in ♌ — 140. et ♒ — 142 et Rubeus cum croceo a ♂ ☿ — 101. 104. v. Semiruber. v. Igneus. v. Roseus. v. Rufus. v. Sanguineus

Roseus a ♀ — 62. et Roseus cum albo a ♃ — 30. et a ♃ ♂ — 94. 98. v. Rubeus v. Rufus

Rufus cum albedine a ♂ ☿ — 102. 104. v. Albus. v. Roseus

Scintillans ex or. et occ. [illegible] — 12. 14. v. Igneus. v. Clarus. v. Coloratus.

Subniger a ♄ ✱ — 88. et a ♄ ♀ — 88. et a ♄ ☿ — 89. 93. et subniger cum [illegible] a ☿ — 76. et subniger cum rubedine [illegible] — ♄ ♂. — 88. 92. et subniger [illegible] a ♄ ♀ — 93. et Subniger obscurus a ♄ ♀ — 93. v. Pallidus. Obscurus


Semiruber cum albedine a ♂ ♀ — 100. 103. v. Albus. v. Rufus.


Sanguineus a ♊ — 117. v. Rubeus. v. Roseus

Varius a ☿ — 71. 73.

Viridis a ☿ — 70. v. Plumbeus. v. Obscurus. v. Obscurus. v. Pallidus. v. Subniger

Zarchur color dicitur Flauus tendens ad rubedinem cap. xi — 123.




43